ORATIONES

FRANCISCI VENTRIGLIA

IN SEMINARIO ARCHIEP. URBANO

ELOQUENTIAE PROFESSORIS

ORATIONES

IN EODEM SEMINARIO HABITAE

VOLUMEN ALTERUM

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHEO FIBRENIANO
1861

AD JUVENES ELOQUENTIÆ STUDIOSOS

CONCIO [1]

(1) Hujusmodi oratio ex tempore elucubrata est in publico periculo, quod Auctor in R. Archigymnasio subiit ann. 1855 : orationis antem Θέσις ex M. Tullii de Oratore desumpta haec fuit : *Neminem sapientiae laudem, et eloquentiae sine summo studio, labore, et doctrina consequi posse.*

Nisi equidem et vestrum ingenium, lectissimi juvenes, et ingentem, quo flagratis, sapientiæ, eloquentiæque amorem perspectum haberem, nunquam hodierno die pro concione loqui apud vos animum induxissem; illud valde veritus, ne vos potius a suscepto curriculo deterrerem, quam ad ipsum alacrius percurrendum oratione mea incitarem. Tot enim sunt, tamque graves genus omne difficultates, quæ sapientiæ ipsius, atque eloquentiæ veluti cam-

pum circumsæpiunt, ut nemo eas, nisi singulari fuerit ad id naturæ beneficio quodammodo excitatus, se fore victurum sperare debeat. Maximo igitur meo, vestroque bono gratulor, juvenes, ac vehementer gaudeo vobiscum potissimum mihi hodie rem esse, qui et peracri ingenio præditi, et duris laboribus assueti me de sapientiæ laude, atque eloquentiæ non nisi summa doctrina, ac studio comparanda breviter dicentem æquo animo audietis.

Neque heic me puto longiore oratione indigere ad propositam veritatem demonstrandam; vos ipsi, juvenes, cognoscitis, quam latissime pateat hic, quem vix ingressi estis, sapientiæ, atque eloquentiæ campus: cujus quidem fines si quis emetiri velit, næ is rerum omnium cognoscendarum pene immensa stadia percurrat, necesse fuerit. Nihil est enim in hac totius naturæ universitate aut visu pulchrum, aut jucundum auditu, aut cognitu necessarium, quod sapientis viri, atque adeo

oratoris mentem, ac judicium effugere debeat. Quidquid Philosophi de reconditissimis quibusque rebus disputant; quidquid legumlatores suis præceptionibus sanciunt; quidquid officiorum et in privatis rebus, et in publicis ad communem utilitatem statuitur, totum id maxima, qua fieri potest, doctrinæ copia cognoscendum est: legendi sunt Poëtæ, omnium gentium, ac nationum historia perlustranda, omnis memoriæ antiquitates exquirendæ sunt ei, qui ad sapientiæ, atque eloquentiæ laudem consequendam contendit. Supra ceteros omnes non vulgarium cognitionum præsidio se extollat necesse est, qui alios in sui admirationem rapere cupit. Ab hac una nimirum doctrinarum omnium copia repetenda est uberrima illa maximarum laudum seges, quibus nullo non tempore optimos quosque oratores suos florentissimæ civitates cohonestarunt; ab hoc uno fonte fluxerunt perennes illi plausus, atque venerationis significationes, quibus duos illos oratorum omnium princi-

pes Demosthenem, et Tullium Athenæ, ac Roma prosequutæ sunt. Neque alii cuiquam rei, quam omnigenæ præstantissimarum rerum eruditioni illorum ipsorum immortalia opera debemus. Quorum vel unum exemplum vobis, juvenes, satis certo documento sit.

At arduum profecto, et ne tentandum quidem opus; mens enim sola cogitatione refugit, animusque vires suas impares omnino sentit. Verum agite, juvenes: quo aliquid difficilius, eo præclarius, ac nobilius habendum est; et ad maximarum rerum gloriam non nisi per maximos quis pervenit labores. An nescitis ad sapientiæ laudem vos contendere? Cujus quidem sedem qua tandem alia mente in prærupti montis cacumine positam voluerunt veteres, nisi ut humanum genus condocefacerent neminem sine diuturno, atque improbo labore eam fore unquam consequuturum? Terreantur sane his laboribus, atque animum despondeant, quicumque hebetioris ingenii habitum sortiti ad vulgaria quæque

præstanda unice nati esse videntur. Vos porro, qui singulari Dei Optimi Maximi beneficio præstantiore mente, atque ingenio feliciore præditi estis, ad veræ sapientiæ laudem consequendam properate; in id unum omnes animi, atque industriæ nervos intendite. Objicite vobis ante oculos tot clarissimorum omnis memoriæ virorum exempla, qui ad istam eloquentiæ palmam ceteris præripiendam nullis nec curis, nec vigiliis, nec laboribus pepercerunt. Quorum vos vestigiis insistentes eamdem, ac illi, veræ sapientiæ laudem consequemini.

DE VITA, ET REBUS GESTIS

THOMÆ RIARII SFORTIÆ S.R.E.CARDINALIS

ORATIO

Habita Idibus Septembris 1857.

Si clarorum virorum facta, moresque posteris enarrare, Eminentissime Princeps, Auditores, quotquot estis, praestantissimi, id tandem unum respiceret, ut eorum ipsorum memoria vel apud seros nepotes recenti semper laude floresceret, supervacaneum fortasse opus hodierno die pertractandum aggrederemur. Ecquid enim celebritatis Thomae Riarii Cardinalis famae, (quem nuper purpureus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Patrum Senatus

ingenti amisit jactura) nostra hæc verba superaddere unquam possent, quum et Ipsius nomen immortalibus gestis rebus in Ecclesiæ fastis perpetuo victurum decoretur, nec minimo litterarum lumine et hic Neapoli, et Romæ in ipsa Christiani orbis aula pro meritis fuerit illustratum?

Verum, Auditores, longe aliud nobis in præsenti hac Amplissimi Cardinalis laudatione, longeque nobilius propositum est consilium: veræ, solidæque Virtutis exemplar effingere; Viri in adversis æque, ac in secundis rebus optime de Romana Ecclesia meriti imaginem, quantum per nos liceat, vividis expressam coloribus mortalium oculis exhibere, ea demum nobis mens est, id animo fixum, ac destinatum habemus; ut dum Virtus ipsa justis honoribus afficietur, habeant nostri homines, quid vere suspiciant, atque imitentur. Cui porro consilio si, ut æquum est, nostri grati animi, atque adeo officii nostri in Eminentissimum Præsulem Xystum,

qui amantissimi Patrui memoriam maxima qua potest veneratione prosequitur, justa ratio accesserit, quis tandem nobis in hoc potissimum argumento annuæ exercitationis causa deligendo jure succensuerit?

Quamobrem nos, Auditores humanissimi, quæ vestra sapientia est, nostræ sententiæ facile vos omnes adstipulatores fore confisi, haud cunctanter manum operi admovemus, Thomæ Riarii Cardinalis vitæ, virtutisque expressiorem aliquam speciem vestris oculis exhibituri; in qua quidem adumbranda si quid vel minus perfectum, vel parum elaboratum exciderit, Tuum in primis erit, Eminentissime Princeps, qui vivam, spirantemque dulcissimi Patrui effigiem animo infixam foves, describentis tenuitatem benevolentia Tua, atque auctoritate sustinere.

Atque hic in ipso veluti orationis nostræ aditu quamvis uberrimam laudum segetem oratorum more congerere possemus ex nobilissima Riariorum gente, utpote quæ viris et de Ecclesiastica in primis, et de re civium universa optime meritis maximo semper opere floruit, haud tamen inconsulto totam hanc laudationis partem relinquimus; tum quia in magna suarum laudum copia alienas conquirere, nimis a dignitate alienum

nobis esse videtur, tum etiam quod Thomas noster nunquam ingenitam familiæ nobilitatem tanti sibi faciendam duxit, ut non ei propriæ virtutis splendorem longe prætulerit. Si quid porro ex clarissimis omnis memoriæ avitis imaginibus in illum potuit derivari, vehemens sane contentio fuit ad præclara majorum exempla æmulanda eo studio, ac certamine, ut ad omnis pulchritudinis, sapientiæque amorem jam ab ineunte ætate non tam allici, ac moveri, quam rapi, impellique videretur. Qua quidem virtutis indole satis perspecta nihil parentes antiquius habuerunt, quam ut vixdum pubescentem Thomam procul abs paternæ domus oblectamentis ad severiorem religionis disciplinam atque ad humanitatem omnem mature informandum curarent. Haud enim illos fallebat, quam sæpe nobiles adolescentes domesticos inter parietes blanditiis, ceterisque equestribus artibus deliniti ab optimis quibusque studiis sensim abstrahantur. Quapropter Thomas pru-

dentiori suorum consilio acquiescens et hic Neapoli apud religiosos viros aliquot annos commoratus est, et Romam missus in Collegio Nazareno id temporis maxime florente, litteris, scientiisque, prout ætatis, ac generis sui ratio ferebat, satis luculentam operam navavit. Nulli quidem ipse inter æquales secundus et ingenii docilitate, et cupiditate discendi, et maxime morum suavitate ita se omnibus commendavit, ut vel ex eo tempore nobiles inter romanos ephebos neapolitanus juvenis longe nobilissimus haberetur. Jam tum enim mirifica quædam in eo ad virtutem omnem propensio elucebat; quæ sane singulari in Deum pietate, nec vulgari similium suorum amore, duabus illis ardentibus Christianæ perfectionis facibus, quotidie magis fovebatur. Hinc profecto perpetua illa oris, vultusque serenitas, nullis unquam postea nec rerum, nec temporum offundenda tenebris, quæ juvenilis animi candorem, ac mansuetudinem satis expresse præ se ferebat.

Hinc etiam magna vis illa prudentiæ, non ex lutulentis plerumque humanæ sapientiæ rivulis haustæ, sed ex purissimis divinæ legis fontibus derivatæ, qua Thomas abs florente juventute res omnes suas tam recte digessit, ut in illa ætatis immaturitate vel difficilibus agendis rebus jam maturus ab omnibus prænuntiaretur.

Atque hac indole virtutum, famæque prærogativa Riarius noster viginti vix annos natus Urbanos inter Antistites amplissimum Ecclesiastici honoris iter ingreditur, magnum de se in ipso Romanæ Aulæ limine spectaculum præbiturus, quum in graves alienissimorum temporum importunitates incidisset. Quid enim tam magis admiratione dignum poterat unquam contingere, quam juvenem procul abs paterna domo, in summa suorum solitudine, ea ætate, qua ceteri ne periculorum quidem nomina satis norunt, gravissimis quibusque periculis occurrere, nullis nec minis, nec terroribus cedere, a Sanctissimi

Patris latere abstractum ne latum quidem unguem ab officio deflectere, obsævientis inter procellæ fluctus invictum semper animum retinere? O luctuosam nimis illorum temporum, atque acerbissimam recordationem! Quis enim unquam aut tam hospes, ac peregrinus in orbe est, qui non audierit; aut tam male animo affectus, quin sine horrore meminerit, quibus vix hoc ineunte sæculo procellis, ac tempestatibus Ecclesiæ navis una cum ceteteris rerum-publicarum gubernaculis per summum scelus fuerit exagitata? Cum nequissimi homines, quibus nulla fides erat, nullaque religio, per oppida, per urbes discurrentes, perniciosis vocibus, ac doctrinis, quibusdam veluti furiarum facibus, ad cædes, et rapinas populos incendebant; cum perditissimi quique ex impuro Sophistarum grege nova errorum monstra adversus Deum, Regesque a Deo ipso constitutos evomentes, imperitæ plebis libidinibus specioso libertatis nomine blandiebantur; cum fædissima malorum col-

luvies ex Alpibus inundans subjectas late Italicas oras miserandum in modum inquinabat; cum armis, militumque clamoribus sacra omnia, ac profana permiscentibus universa Europa Corsici bellatoris victoriis, ac triumphis obstupefacta intremuit; cum denique Sanctissimus Senex Pius VII. pro domo Dei æneum pectus opponens infando ausu Savonem delatus in liberas custodias tradebatur! O quæ tunc erat Christiani orbis comploratio, et mœror! quæ fæda squalentis Italiæ species! quam deformis Romæ, sublato capite, funestusque aspectus! Quid commemorem deinceps et optimorum omne genus hominum exilia, ac vincula; quid bonorum publicationes, quid exustiones agrorum, quid religiosissima templa passim direpta, et expoliata? quid cetera atrociora facinora in æterna præsertim Urbe admissa, quæ nisi gravissimis historiarum monumentis firmarentur, nulla unquam ætas vel barbara pro veris esset creditura?

Atque si nos, Auditores, et temporum, et

locorum longinquitate absentes ex sola tantarum calamitatum memoria tam tristi sensu afficimur, ut vix lacrimis temperemus, quo tandem animo, vel qua eos perturbatione affectos esse putabimus, qui et officii sui ratione tot ipsi malis interfuerunt, et ad servandam jurisjurandi religionem miserrima quæque rerum, vitæque discrimina non semel sunt perpessi? Quæ tum interea in communi bonorum omnium trepidatione Thomæ Riarii virtus? qui amor in Pontificem? quæ in Sedem Apostolicam fides, ac devotio extitit? Illine unquam animus et libere sentiendi, et fortiter loquendi de suprema Ecclesiæ immunitate vel inter acerrimos hostes defuit? Quoties Ipse, et quam voluisset exilium exilio commutare, et amantissimi Senis, quem patris loco diligebat, libertatem juvenili sanguine redimere? Cujus sane flagrantis studii, ac fortitudinis testes sunt et Roma, ex qua fugiens Thomas domesticam supellectilem, suaque omnia obsignari, publicarique pertu-

lit, et Cajeta, qua velut sacri belli obses æquo animo deportari passus est. Tum tu, Cajeta, quæ longe præstantioris Exulis hospitio aliquando eras nobilitanda, tu plane didicisti, quidnam vel in juvenili pectore Christiana posset virtus! quæ sola, et vere *pulsa loco, manet tamen, splendetque per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit.* Tu siquidem vere nobiles Riarii sensus excepisti: tu Illius et fidem in promissis, et in periculis constantiam, et in adversis invictam animi æquabilitatem admirata es, quum Ille ex tuo sinu exul exulem Pium si non voce, atque opibus, votis certe, ac precibus quotidie prosequebatur.

Nec minori juvenis Riarius pro re Neapolitanorum publica, quam feris immerito jactatam procellis videbat, afficiebatur solicitudine: sapienter enim Ipse intelligebat, quam arctissimo inter se vinculo et Ecclesiæ regimen, et legitime constituta imperia conjunguntur; quum hæc Religioni tamquam firmis-

simo innitantur fundamento, atque ipsi auxilium jure præstent, ac vicissim mutuentur. Quapropter Apostolicis edoctus præceptionibus observantiam, ac fidem legibus, ac potestatibus et Ipse profitebatur, et alios ut profiterentur, qua monitis, qua exemplo, maxima tamen cum prudentia, adhortabatur, illud maxime veritus, ne ex insana aliqua civium dissentione, animorumque discordia, sanctissima Christianæ dilectionis, qua et inimicos diligere præcipimur, fœdera violarentur. O sensus vere nobiles, longeque meliori temporum ratione dignissimos! O vere Christianæ nobilitatis exemplum communi nobilium imitationi proponendum! Hæc enim sentire iniquissimis præsertim temporibus, singularis prudentiæ est; facere, invictæ fortitudinis; sentire vero, et facere, perfectæ, cumulatæque virtutis.

Sed jam gestit animus ex horrore, ac tenebris exilii ad optatissimi in patriam reditus lucem, triumphique lætitiam evolare. Sa-

tis profecto in Christi gregem, ejusque Pastorum principem ab infensissimis hostibus sævitum erat: jam res eo discriminis devenerat, ut desperata omni humana ope et mali homines impie exultarent, et boni valde metuerent, ne quid gravius, ac tristius adversos inter fluctus jactato Ecclesiæ navigio accideret, quum Dominus, cui mare, ac venti obediunt, de cælo intonuit, ac repente vis tempestatis concidit. Tunc serenior Ecclesiastico orbi dies illuxit, densissimas præteritorum temporum tenebras disjectura; tunc longe aliam faciem, longeque pulchriorem res omnes publicæ, ac privatæ veluti ex insperato induere visæ sunt. Jam Pontifex Pius injuriarum, et laborum immemor, inter effusissimas gentium, ac populorum acclamationes Romam, a qua nunquam mente abscesserat, lætissimus properabat: illi advenienti Reges, ac principes nova quadam contentione dexteras porrigebant: toto itinere florentissimæ quæque urbes festos dies agere adventus ejus causa

videbantur: viæ multitudine, ac splendore legationum undique missarum celebrabantur: in Urbem ingressus triumphorum omnium magnificentiam excedens incredibili civium, ac peregrinorum studio, et gratulatione florebat. Sed tot inter publicæ omnium ordinum lætitiæ significationes quis tandem juvenis Riarii sensus, animumque in Pontificem salvis redeuntem rebus satis apte poterit describere? Quum tantum Illi mœroris, ac tristitiæ ex amantissimi Patris casibus jampridem pervenerit, quibus nunc gaudiis in tanto ejusdem triumpho ipsum perfrui, quantaque voluptate exultare censemus? Ipse jam, allato vix victoriæ nuntio, patria, ac parentibus relictis, tamquam generosus equus carceribus emissus, cursu omnes prævertit Romam contendens, ut cujus ardenti desiderio tamdiu contabuerat, primo quoque adventu augustissima Viri suavitate præsens expleretur, virtutique durissimis perfunctæ laboribus ex animo gratularetur. Quæ vero tunc

temporis humanissimi juvenis mens, qui sensus fuerint, facilius animo, quam verbis assequi quis poterit. Quamobrem hic potius, Auditores, sapiens Pii Pontificis de Riario judicium suspicite, quum Ille huic Maceratensium provinciam commiserit procurandam, non tanquam ejusdem integritatem probaturus, sed ut satis probatam hominis virtutem debitis afficeret præmiis, eademque in re difficiliore maxime uteretur. In qua quidem Sparta exoranda ut Pontificis sententiæ, ac votis cumulatissime responderet, quantum insudavit Riarius? quot fuerunt Ipsi molestiæ pervincendæ? quanti exhauriendi labores, præsertim quum in id animum induxerit, ut quidquid vel belli furor vastaverat, reficeret, vel longa criminum impunitas, legumque contemptus corruperat, maxima qua posset vi, ac sedulitate restitueret? Quid porro, quod ceteræ Riarii virtutes in eo munere nova veluti luce splendescere visæ sunt? Quis unquam illo temperantior, ac continentior fuit? quis

in criminibus cöercendis gravior, et severior? quis in bonis moribus, atque artibus provehendis splendidior, ac magnificentior? quis in perferendis injuriis sedatior, ac remissior? In miseros vero, et calamitosos omne genus quam liberalis, quamque munificus extiterit, vos, vos ipsi probe nostis, Maceratenses, qui singularem Illius humanitatem, atque æquitatem adversis temporibus experti, non Præsidem Romanum, sed amantissimum in eo Parentem tanquam e cælo demissum suscepisse privatim, ac publice declarastis. Novisti et Tu, Pie Septime Pontifex Maxime, qui Thomam Riarium, publica Maceratensium re optime gesta, amplissimis cohonestatum laudibus et ad Pontificiam Aulam admissionum Magistrum libens renuntiasti, et quadragesimo primo ætatis anno ad augustissimum, sanctissimumque Cardinalium Collegium evexisti, insigni futurum posteris documento « ad principes in Ecclesia gradus aditum uni virtuti maxime patere ».

Atque hic nimirum, Auditores, et orationi nostræ, et vestrum omnium admirationi quam latissimus aperiretur campus, si præstantissimorum factorum magnitudini par cujusquam inveniri posset dicendi facultas. Si enim Thomæ Riarii et adhuc privati inter juvenes degentis, et primos vix attingentis Ecclesiasticæ rei gradus tanta omnigenæ virtutis vis extitit, ut ægerrime nobis eam consequi dicendo licuerit, quæ tandem erit acies ingenii, vel quæ tanta eloquentiæ ubertas, quam non Virtus ipsa ex summæ dignitatis fastigio coruscans splendore suo perstringat, et obruat? Quapropter nos illam tanquam per obliquum intuentes facta ipsa, disertissimo quoque eloquentiora, testabimur. Fuit, fuit profecto aliquando constans illa, ac pervulgata in Aula Romana hominum opinio, nihil in difficilibus componendis rebus, nihil in arduis negotiis pertractandis tam æque valere, quam spectatam, diuque cognitam Cardinalis Riarii fidem, ac dexteritatem; adeo quidem, ut non semel Ille

magnam de se in obeundo munere expectationem ipsam longe superarit. Cujus sane felicitatis vel in iis expediendis, quæ nimis aliena a Principum virorum dignitate vulgo existimantur, illud argumento sit, quod quum Thomas Cardinalis Academiæ abs Archæologicis provehendis studiis præesset, eo successu et antiquarum rerum investigationi, et pauperum usibus consultum ivit, ut effossis illis artium thesauris utrum Romanum Musæum, an miserorum inopiam magis ditaverit, adhuc in dubio relinquatur. Quid vero, Auditores, si perhonorificæ huic Thomae meritorum existimationi gravissima quatuor deinceps Pontificum accesserit auctoritas? En vobis revera in primis Duodecimus Leo, qui magna vi mentis, animique pauperiorum egestati consulens, muneris a se nuper instituti, publicæ pecuniæ illis nova ratione distribuendæ, procurationem nonnisi spectatissimæ Cardinalis Riarii charitati commisit, ipsumque Collegio Urbano de Fide propaganda præfecit.

En Pius VIII. qui Æmiliam provinciam e subdolis improborum artibus, apertisque facinorosorum hominum aggressionibus Cardinalis præcipue legati justitia, ac prudentia confessus est liberatam. En Gregorius XVI. magnus ille alienæ virtutis æstimator, qui inito vix Pontificatu ad publicam Pisauri, atque Urbini rem administrandam Riarium præcipua missione delegit; cujus Ipse provinciæ utilitati, accisis licet ærarii opibus, tanta æquitate, ac providentia consuluit, ut Thomam et vicinæ Etruriæ Dux aureo equestris ordinis numismate, raro exemplo, donaverit, et Pontifex ingenti bonorum omnium præconio Sanctæ R. E. Cardinalem Camerarium renuntiaverit. En et Pius Nonus, qui... Sed quid ad nomen hoc immortalitate dignissimum vos adeo commoveri video, Auditores? quid mea vos verba, tacita admurmuratione, præire videmini? Satis, satis equidem ex ore, habituque vestro, quid hac de re sentiatis, intelligo. Illud nempe unum summae Cardinalis Riarii

virtuti deerat, ut alterius Pii præcipiti fugæ, atque exilio verenda illa canities reservaretur. Vix enim dici potest quam fortiter, ac prudenter eo se tempore gesserit Romæ Cardinalis Camerarius, ut in tanta armorum impunitate Ipse non securus modo diu versatus fuerit, verum etiam, si quid in illa impotentissimorum hominum amentia humana virtus proficere potuisset, Illum fortasse ad sanitatem posse Urbem revocare boni omnes augurarentur : quod et Pius novit, nos audivimus, et universi pacis auctores vehementer admirati sunt. Quidquid vero Neapoli Pontifici inter nos degenti præstiterit Riarius, quantumque sategerit, ut qua ope cumque posset tristes Pii lacrimas aliquo consolationis rore adspergeret, oratione persequi supersedemus, ne qua forte injuria gratissimam vestrum omnium, Auditores, hac de re memoriam afficere videamur. Unum illud heic veluti ad totius meritissimæ laudationis culmen addendum putamus, quod et omnes, qui eum norunt, sem-

per maximi fecerunt, Thomam Riarium magnis licet virtutibus, recteque factis onustum ea semper animi demissione, ac modestia floruisse, ut honores et Ipse nunquam petierit, et ultro oblatos aliquando recusaverit. Et qua tandem alia ratione altissimum illud virtutis fastigium contingere potuisset, nisi profundissimum Christianæ humilitatis jecisset fundamentum? Hinc nimirum fuit, Auditores, ut Thomas ab Sacerdotii dignitate, quod ardenti semper animo concupiverat, tamdiu abstinuerit, nec nisi Pontificis auctoritate jam Cardinalis illud susceperit. Hinc etiam effectum, (quod magis mirum visum est, et postea videbitur) ut Neapolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopatum semel, atque iterum constans detrectaverit. O virum incomparabilem, atque ipsis felicioribus Ecclesiæ sæculis invidendum! Hæc, hæc Tuæ summæ virtutis exempla Romanam Ecclesiam præ ceteris nova luce illustrabunt; nec tua Neapolis per Te, per Te, inquam, alicujus urbis felicitati jure po-

terit invidere. Si enim Tu, Thoma Cardinalis, toto vitæ Tuæ cursu et de quinque Maximis Pontificibus, et de universa Romana Ecclesia optime mereri adeo adlaborasti, majorem certe fructum, ac perenniorem Neapolitanæ Ecclesiæ laboribus, curisque Tuis peperisti. Tibi Hæc, Tibi hunc Præsulem, quem amoris Tui filium, virtutum Tuarum hæredem, Tua institutum disciplina et amantissimum Parentem complectitur, et indefessum Pastorem suspicit, et Eminentissimum Cardinalem patria charitate flagrantem veneratur, Tibi refert acceptum, Tibi se unice debere profitetur. Tuum est omne, quidquid Ipse boni, quidquid præclari facinoris et hactenus impigre perfecit, et quidquid pro Ecclesiæ hujusce dignitate graviter, sapienterque in dies agere meditatur. Quamobrem Tu nunc, Innocentissime Cardinalis, e cæli vertice, ubi, uti confidimus, æterno virtutis Tuæ præmio frueris, Christum Jesum, ut et Neapolitana Ecclesia Xysti Tui virtutibus quam diutissime perfruatur, enixis precibus exorato.

DE PRAESTANTISSIMO, AC SALUBERRIMO

CHRISTIANAE RELIGIONIS OPERE

CUI

AB INFANTIBUS REDIMENDIS

SACROQUE BAPTISMATE ABLUENDIS

FACTUM NOMEN

ORATIO

In Seminario Urbano habita III. Idus Sept. 1859.

Si suus cuique ætati, Princeps Eminentissime, Auditores Præstantissimi, tribuendus est honos, atque observantia, nulli quidem dubium est, quin infantia utpote longe carior, ac debilior, sit præ cæteris ætatibus singulari amore, ac defensione complectenda. Quum enim pulchritudine, ac robore maxime floreat juventus, senectus autem consiliorum vi, ac maturitate excellat inter homines, et veluti dominetur, infantia sola a pro-

videntissimo naturæ totius Auctore adeo miris est dotibus instructa, ut innocentia, atque imbecillitate sua amorem, ac defensionem vel ab invitis extorquere videatur. Quis enimvero tam ferox est, qui innocuos, ac debiles infantes, suo quemque ingenio ad id fortiter impellente, non amet, non protegat, non modis omnibus defendendos arbitretur? Est hæc, Auditores, non scripta, sed nata lex, quam non accepimus, non didicimus, sed ex ipsa natura hausimus, et expressimus; ut si quis sive furore, sive crimine jura omnia divina, atque humana permiscens infantis sanguine se polluat, omnem jam humanitatem necesse sit penitus exuisse. Verum quid adeo sanctum, augustumque est, quod non aliquando per summum scelus violaverit humana improbitas? Hæc ipsa infantia, Auditores, quæ vel a belluis cautissime defenditur, hodie inter homines pro tutoribus, ac parentibus hostes habet crudelissimos: quibus sane pervincendis, atque ad humanitatis sensum revo-

candis Christiana Religio, justitiæ omnis, ac sanctitatis parens, opus longe omnium præstantissimum, ac saluberrimum, quod ab infantibus redimendis, sacroque abluendis baptismate nuncupatur, suscipiendum decrevit.

Atque huic nimirum operi nos hodierna die non tam ad ingeniorum nostrorum exercitationem, quam ad inflammandos animos breviter proludendo plaudere statuimus.

Vos interim, Auditores humanissimi, nobis infantiæ, atque adeo humanitatis causam dicentibus benevolas vestras aures præbete.

Atque hic in orationis nostræ veluti exordio si propositam rem nudis modo rationibus, atque argumentis evincere vellemus, quam ingens dicendi materies oboriretur: quacumque enim ex parte tantum opus perspicitur, maxima ipsius rei præstantia, atque utilitas cuique vel indiserto mirifice objicitur commendanda. Quo tandem enimvero pacto possent illi unquam deesse verba, qui vel admirabile Christianæ religionis infantibus subveniendi institutum expenderet, vel divi-

nam prorsus opem in hujusmodi opere provehendo extolleret, vel denique felicissimas ejusdem progressiones, obstantibus nequicquam innumeris genus omne difficultatibus, prosequeretur? Verumtamen totum id, sterilem tanquam declamationem rhetorum scholis relinquentes, rem ipsam vestris oculis subjiciemus, ut facillime, an præstantius aliquid, ac salubrius hoc opere ab Ecclesia suscipi, ac foveri possit, per vos ipsi, Auditores, nullo interprete, ac suasore statuendum judicetis.

Sunt quidem in vastis Africæ, Asiæque regionibus homines, seu verius humana tantum specie crudelissima monstra, qui feris ipsis ferociores natis suis mortem inferunt acerbissimam: aëris inclementia, asperitas soli, lubido plusquam ferina, rerum omnium egestas nativam acuunt ferocitatem; nullam hic vim, nullam necessitatem, nullam possidet religionem innocens filiorum sanguis: consceleratissimi parentes nec divinis, nec humanis legibus prohibiti infantium natorum, quos

omni ope alere, ac tueri deberent, vitam et sanguinem crudeliter effundunt, ac perdunt: inhumanis parentibus crudelitatis ministras se exhibent fœdiores obstetrices, quæ passim turpis lucri caussa vix in lucem editas puellas sive ferventis aquæ pelvibus suffocant, sive levi quadam cucurbita ad collum alligata in flumen projiciunt : pauperrimus quisque, ac pigerrimus ex feminis speciosiores, validiores ex maribus histrionicae arti, atque infami quæstui reservantes, cæteros omnes in viis exponunt, nulloque humanitatis sensu, vel cœno, ac palude, injectis super lapidibus, mergunt, vel porcis, canibusque dilacerandos objiciunt : nec desunt, qui longe avariores, quam crudeliores, parvulos filios negotiatoribus, catulorum instar, paucis assibus vendunt, ac sæpe cum vilissimis quibusque rebus illorum sanguinem permutant; et quod credi vix potest, miserorum infantium lacrimæ, ac vagitus, quibus vel feræ ipsæ, si possent, commoverentur, saxea parentum pectora non tangunt.

Atque hujusmodi quidem est, Auditores, miserrima illorum infantium ratio, qui longe omnium infelicissimi centeni, ac milleni ad crudelissimam ab ipsis parentibus mortem vix in lucem editi devoventur. Et quisnam proh! Deum immortalem! tam duro animo, ac ferreo reperietur, quin ista vel debili atrocium rerum expositione graviter afficiatur? Si præteritorum temporum historiis perlegendis efferatissimum ludorum morem, in quibus captivi aliquot, ac male feriati homines gladiis decertantes mutuis sese conficiebant vulneribus, maximo cum horrore execramur, quo tandem animi sensu detestabilem parvulorum innocentium cædem audiemus; qui necem sibi a parentibus inferendam neque armis propulsare, neque lacrimis, quæ vel alienissima inimicorum corda commovent, possunt deprecari? Quod quidem nihil acerbius, nihil crudelius, nihil ab humana magis abhorrens natura potest unquam dici, aut excogitari.

Etsi enim apud ethnicas olim nationes,

non defuerunt, qui cæca superstitionis vi inducti filios falsis numinibus mactarent, infantibus tamen, ut Justinus eis acriter exprobrabat, pueriliter blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur: at illic, Auditores, eo nunc immanitatis, atque adeo stupiditatis barbaries devenit, ut tenerrimis vagientis naturæ vocibus parentum aures obsurdescant, effusæ morientium lacrimæ contemnantur, innoxius filiorum sanguis impune proteratur. — Quis unquam fieri posse putaret, ut homo, qui ratione maxime, ac mansuetudine brutis animantibus præstat, verso in pejus ingenio, tantum immanitate bestias vinceret, ut, quum belluas inter sese partus, educatio, et natura ipsa conciliet, ille ratione abusus, omnemque exuens humanitatem, filios paterna manu crudeliter jugulare haud vereretur? O probrosissimam humanæ mentis ab omni prorsus jure aberrationem, ac cæcitatem! o inhumanam humani generis barbariem, ac crudelitatem perhorrendam! Ecquod tandem erit tam sa-

lutaris artis genus, atque disciplinæ, quæ durissimos perditissimorum hominum mores emollire, hominesque ipsos ab impia vivendi ratione ad pietatem, ab immanitate ad humanitatem valeat revocare? Tu sola, divina Christi Religio, tantum aggredi opus, tu feliciter sola potes perficere: Tuum enim munus est quidquid boni, ac recti inter homines unquam extitit, aut aliquando erit futurum: Tu olim efferatum totius orbis ingenium mirabiliter immutasti; Tu suavissimæ doctrinæ tuæ radiis barbariæ tenebras expulisti: Tu primum Græcis, ac barbaris novitate rei obstupescentibus dulcissima mutui amoris, ac caritatis præcepta tradidisti: Tibi nunc uni hujusmodi quoque miraculum, Tibi justissimus de horrenda parentum in filios crudelitate triumphus reservatur!

Sed jam nostrum omnium vota, ac desideria, Auditores, præveniens Christiana Religio magnam universorum fidelium supergressa est expectationem. Si tot miserorum

infantium lacrimæ, ac gemitus ferrea suorum parentum pectora infringere nunquam valuerunt, Catholica tamen Ecclesia, quæ quidem parens est omnium tenerrima, haud omnino potuit, quin illis penitus commoveretur. Vix ipsa miserandam tot millium parvulorum sortem audivit, cum maximum, ac saluberrimum ipsorum redimendorum opus sanctissimi infantis Jesu auspiciis suscepit. Et jam ex toto orbe Catholico Sacerdotes magnæ animæ prodigi, immensis terrarum, marisque tractibus peragratis, illuc inter barbaros advolantes exoptatæ infantium se prædæ accingunt.

Atque quis heic sine maxima animi commotione recenseat innumeros parvulorum greges, quos illi, quotidie, sive, desperata omni humana ope, sacro baptismate ablutos Angelicis inserunt choris, sive parva redemptos mercede ex parentum crudelitate eripiunt, et in humanioris vitæ spem succrescentes dispositis apte brephotrophiis, ac collegiis alunt,

instituunt, tuentur? Quibus vero vocibus servatores suos gratissimi illi parvuli salutent, quibus colant officiis, qua complectantur observantia alteros illos vere parentes suos amantissimos, nullus sane est, qui satis apto orationis genere prosequatur. Quid porro memorem puras, calidasque preces, atque orationes, quas innocentes illi pueri ad Infantis Jesu, Virginisque Matris imagines genibus, animisque prostrati et pro fratrum suorum redemptione, et pro infidelium parentum resipiscentia frequenter effundere didicerunt? Quid referam alias, atque alias artes, ac studia, quibus teneræ ille mentes pro diversa sexus, ingeniique ratione ad humanitatem omnem, ac pietatem informantur, atque exercentur? Ex qua quidem Christiana puerorum institutione, tamquam ex felici semine novalibus agris commisso, quantum fructus, quantoque cum incremento, ubi primum ipsorum ætas adoleverit, ad communem regionum illarum utilitatem, non erit Ecclesiæ expectan-

dum? O præstantissimum, ac saluberrimum Christianæ Religionis ab infantibus redimendis opus! O institutum omnium dignissimum, ad quod provehendum omnes Christi fideles studiis, opibusque adnitantur!

Et quis enimvero nostrum erit, Auditores, qui, quum Catholicæ Ecclesiæ filius esse merito glorietur, in hoc potissimum opere tam præclaro, tamque salutari modis omnibus adjuvando Matris hujusce amantissimæ curis deesse patiatur? Opus illud, quod felicibus jam auspiciis incæptum felicioribus usque in dies incrementis augetur, nos ipsum nostra incuria, ne pejus quid dicam, non ut omnino evanescat, sed ut aliqua ex parte retardetur, ac lentius quodammodo producatur, committemus? Nonne vobis hæc omnia, quæ breviter audistis, cernere oculis videmini, Auditores? non illos miseros, ac insepultos infantium acervos videtis? non innumeros alios squalore, ac macie confectos eadem mox fortuna canibus projiciendos aspicitis? non versantur ante oculos

vobis in horrenda filiorum cæde barbari parentes? non vestras aures feriunt, non commovent pectora tot innocentium puerorum lacrimæ, ac gemitus? Non adest hic vobis sacrosancta Christi Religio, quæ suis ipsa manibus sanctissimum illorum infantium redemptionis vexillum sustulit? quæ acerbissimo sceleri, nefariæque barbariæ inexpiabile bellum indixit? non orat, non hortatur, non suis præcipit ministris, ut ad certam currant victoriam, ut præclaram illam, divitemque prædam ex inferorum faucibus quamprimum eripiant?

Tu, dulcissime Infans Jesu, qui crudeles Herodis te persequentis manus effugisti, quique semper infantium causam, ac tutelam Angelis, atque hominibus voce, et exemplo commendasti, si tantum Opus ab infantibus redimendis sanctissimis tuis auspiciis jam susceptum est ab Ecclesia, si tam alacriter invocato tuo Nomine a suis ministris promovetur, Tu nunc et strenuis illis Viris for-

titudinem ac constantiam adaugeas, et fidelibus omnibus amorem infundas, ac caritatem, ut voluntatibus, opibusque collatis Opus ipsum alacrius progrediatur in dies, cunctisque difficultatibus superatis ad exoptatum finem quam celerrime perducatur.

DE SEVERA PUERORUM INSTITUTIONE

ORATIO

Exercitationis causa elucubrata ann. 1849.

Quod in aliis plerumque ætatibus, id nostris etiam temporibus sæpe accidit, ut magna inter homines contentio sit, utrum novitati favendum, an vetera novis anteferenda. Quæ sane contentio si intra justos coërceretur fines, esset ea quidem nec indigna mortalibus, nec infructuosa: variantibus enim sæculis, et perenni quodam motu natura ipsa sua vertentibus humanis rebus, si quod alteri deforet, ex altera arcesseretur, diversæque inter se ætates

utilitatum conjunctione, et communicatione sociarentur, serius, ocyus, si quid perfectum in terris est, humana fortasse vota complecterentur. Nunc vero quis ignorat interdum cupiditate, sæpius etiam partium studio ita incendi mentes hominum, atque effervescere, ut non quod rectum, sed quod placitum sit, id summis viribus, et infensis animis tueantur? Quæ quum ita se habeant, illud tamen dubitari non potest, quod quotidiana passim experientia docet, novitatem omnem, si quando in litteris, artibusque salutaris, in moribus fere semper esse capitalem: posteriora enim sæcula raro prioribus sapientiora, dumque humanum genus novis inventis, atque institutis veterem disciplinam emendare, auctioremque, ac cultiorem facere studet, sæpe in deteriora omnia, et extremam quasi perniciem relabitur. Quod nostra præsertim hac ætate in puerorum institutione maxime cernitur. Vulgo enim non indocti modo homines, atque imbecilli, sed illi ipsi,

qui aliquanto plus præ ceteris sapere se putant, ita demum conceptum animo habent, itaque profitentur, nonnisi arcte, ac duriter in informandis pueris sese gessisse majores, ab eaque severitate disciplinæ reflecti tuto posse, quin ulla inferatur labes privatæ, ac publicæ utilitati. Nos contra ea sentimus, acri disciplina pueros instituendos, tum ob alia, tum, quod potissimum spectabimus, ut mature consuescant labori, summaque dein ope suis, ac reipublicæ commodis quavis in parte deserviant.

Utra ex his opinio recto stet talo, postquam recens hæc instituendi methodus exposita per nos fuerit, paucæque subinde in rem nostram animadversiones productæ, tum vestrum judicium erit, Auditores, quorum sapientia, atque auctoritate veritatem Orationis meæ abs obtrectationibus malevolorum, si qui fortasse fuerint, maxime tutam iri confido.

Ut autem a rei definitione exordiamur, sine qua nulla recte disputatio procedere potest, acris heic disciplinæ nomine non tetricam, non immanem, non sævam intelligimus, qualem fere ipsa verbi vis prima ostendere sua fronte videtur, et communis fortasse hominum interpretatio tenet ; nec enim tanquam vetus aliquis Persa, aut e Spartanorum semine nescio quis informari nunc a nobis debet, nec ea puerorum nostrorum, atque

adeo hujusce ipsius cæli indoles est, ut nimis aspera, atque acerba patiatur. Modo puerilis institutio exacta sit, neque ad eam mollitiem inclinet, quæ nostris hisce temporibus malas undique radices agit, ea nos contenti ultra non quærimus, ita tamen, ut si quando severitas cum facilitate certet, in ea quasi conflictione, et concursu duarum potentissimarum rationum, illi potius, quam huic favendum putemus, severique nos, ac graves, quam faciles, remissique esse malimus. Atque hanc ipsam exactam institutionis normam (in qua quia plus severitatis adspersum volumus, acrem eam potius, quam exactam vocamus) ipsa hæc temporum conditio, et labentium in dies morum desidies necessario a nobis flagitare videtur. Quæ enim isthæc est nostræ hujusce ætatis institutio, aut quando unquam a mortalibus in rem gravissimam majori negligentia peccatum est? Quid nunc primum, aut magis querar? domesticamne, et privatam, si qua modo sit, an externam, et communem

institutionem? Melius equidem, Auditores, præterirem hoc loco nostram calamitatem, quæ certe tanta est, ut eam ne primis quidem coloribus adumbrare, nedum totam exprimere sine summo animi dolore queam. Huccine igitur tempora reciderunt, ut qui ipsi durissima custodia essent constringendi, iis liberos nostros custodiendos, regendosque committamus? Percurrite parumper oculis; lustrate animo hanc urbem; nulla est paulo frequentior via, nullus vicus, in quo non sit aliqua conducta domus ad puerorum tum litterariam, tum ethicam institutionem: si institutio ea dicenda sit, ubi nulla lege, nullo ordine, nullo metu, temere, ac licenter habentur pueri, sæpe etiam ad indecora omnia, atque inania exercentur. Quo quid indignius, quid acerbius, quid luctuosius fingi potest? Eone cæcitatis, atque ignaviæ prolapsi sumus, ut quæ perfugia pudicitiæ, et sapientiæ sacraria esse deberent, eæ nunc domus intemperantiæ, cupiditati, pigritiæ,

omnibus vitiis, et corruptelis pateant; idque nostra potissimum stupiditate, qui vano adparatu, et fastosis titulis illecti alienæ avaritiæ velificamur, ut miseris adolescentulis, ut propinquis, ut liberis, ut necessariis nostris animorum, et corporum naufragia comparemus? Quid vero, quod huic naufragio ne satis quidem tuta tabella sit in collegiis, et Lyceis, quorum magna nunc frequentia in urbe passim, ceterisque regionibus Neapolitanis? quid quod ne in ipsis sacris ephebeis, quo recta omnis disciplina ex fœda sæculi colluvie recepisse se, atque occultasse jure alicui videri posset? Non timeo, Auditores, ne inflammatus indignitate rei, aut dicendi studio abreptus hæc jactantius vobis effundere existimer, quam verius. Res in omnium oculis sita est: si pauca excipias, cetera omnia hujusce generis domicilia eodem vitio putrescunt: prisca majorum nostrorum disciplina umbra se modo, ac larva tuetur; verus ille succus, ac sanguis effluxit. Ubi enim solida, ac per-

tinax laboris patientia? ubi bonæ æmulationis studium? ubi exacta cura pudicitiæ? ubi summa cautio peccandi? ubi satis injecta fræna licentiæ? ubi metus suppliciorum? ubi intaminata ratio nullius unquam rei, præterquam veræ sapientiæ, atque virtutis? Quod si ii etiam, qui præsunt, non illud sæpe animo cogitarent, suavitate, ac lenitate confieri omnia posse, austeritate, ac severitate penitus abstinendum, esset profecto spes melioris aliquando fortunæ, nec præstantissimæ rei sanitatem fortasse totam conclamaremus. Nunc quæ tandem est ista lenitas, ac suavitas? quæ commissa negligat, lusu etiam excipiat? quæ puerile otium non coërceat? quæ plus æquo mitiget onera studiorum, et laborum? quæ libertatem colloquendi, colludendi, consuescendi dissimulet? quæ blandientem aliquam Sirenem, quæ hiantem Charybdim aliquam, quæ papiliones, quæ fucos tegendos potius, atque alendos, quam averruncandos, exterminandosque contendat? Facessat male ominata

isthæc suavitas, nec cum vera se sapientia ad informandos mores commisceat. Etenim sic ab hominibus doctissimis, prudentissimisque adcepimus, puerorum institutionem omnium artium ut præstantissimam, sic difficillimam esse: viris opus esse gnavis, expertibus, industriis: ab iis privatam, ac publicam felicitatem, ab iis salutem civium universorum; ab iis imperiorum, et regnorum opes pendere; qui nisi animos ducere, præesse voluntatibus, imperitare adfectibus norint; nisi bene flectere teneritatem ætatis, bonaque ingenerare semina, atque fovere didicerint, nulla esse poterit recta, ac sapiens instituendorum puerorum disciplina. Pueri enim non ratiocinatione, sed consuetudine vivunt, nec quid sequendum, aut fugiendum sit, satis ipsi, vel facile ex se colligunt, sed quod alii eos sequi, aut fugere jubent, id etsi quandoque inviti fortasse primo, mox tamen sponte repetunt, ac libere; moderatoribus, ac præceptoribus suis plus, quam sibi ipsi credunt; ab

iis sese adduci, ac reduci sinunt; eorum auctoritati famulantur, nutibus assentiuntur, in voluntate conquiescunt. Et si aliquando contingat, petulanter eos, et procaciter reluctari, sæpe tamen monitis, sæpius vero objurgationibus immutantur: non diu rebelles, non ad extremum protervi fient. Quæ quum non tam longa hominum experientia, quam ipsa rerum natura constent; quumque ex eadem natura, et ipsius omnia moderantis Dei voluntate compertum quoque sit, nil prorsus sine labore dari mortalibus, non facultates, non honores, non opes, non sapientiam, non doctrinam, non claritatem, non famam; illud profecto rectæ omni institutioni in primis propositum esse debet, ut ad hunc omnium bonorum fontem apte, ac mature comparentur pueri, ab eoque, si sibi satis, ac reipublicæ utiles esse velint, nullo modo recedendum, ac declinandum toto deinceps vitæ cursu sibi penitus necesse putent. Fac igitur temere illos, ac solute vivere: vel si mavis,

molle iis palpum, et leves habenas ostenta: fluent repente animi, nulloque posthac vinculo coërcebis.

Quod si juvencos, si equulos non blanda quædam contrectatio, aut facilitas, sed dura Magistrorum manus, ac sonantia scuticarum verbera subjugant; lente tu mihi, ac molliter, non imperiose, non severe, non acriter lascivientes puerorum animos continebis? Si sic putas, non rationi modo, quæ magistra est veritatis, sed factis etiam, atque exemplis, quæ plus interdum, quam ratio ipsa, movent, repugnabis. Nam si ita sensissent homines prudentissimi, non pueros parentum sinu abstrahendos, et quasi evellendos suasissent, non aliena in domo concludendos jussissent, non externam domesticæ institutioni, publicam privatæ, communem propriæ prævertissent. Quum vero jure, ac merito existimarent alienos homines minus indulgentes esse, quam suos, hac ii potissimum de causa huic magis, quam illi disciplinæ favebant: in qua si viris

gravibus, ac strenuis committerentur tenelli animi, in eorumque delectu tota vis, atque institutionis summa poneretur, ingentes sane fructus in privata, et publica commoda redundarent. Hinc apud Persas quum juvenum disciplinæ maturæ ætatis homines præessent, pueros non iis, sed senibus instituendos tradebant: gravior enim senectus, officiorum, ac muniorum suorum plus æquo tenax, censura, et castigatione minorum acerrima. Nec alia prorsus ratione, nisi hac ipsa promovendæ, fovendæque solertiæ iidem homines sapientissimi externam hanc ipsam, et communem institutionem acrius etiam, vehementiusque præ privata illa, ac domestica propugnabant: quod in altera scilicet æmulationis studium, et cura, in altera languor, ac pene desidies. Quum enim, ut docet Aristoteles, homo magis, quam ceteri animantium vi quadam, impulsuque naturæ ad imitandum trahatur, quumque hic ipse imitandi ardor celerius in pueris sese, atque incitatius efferat, meliorem

certe, et ad incendendam industriam efficaciorem eam illi institutionem censebant, ubi hæc ipsa imitandi vis, atque impetus acrioribus stimulis peracueretur. Nec aliunde porro fluxerunt varia illa objurgationum, ac pœnarum genera, quibus recta omnis institutio utitur, tum ad cetera puerorum peccata coërcenda, tum ad otium potissimum, ignaviamque domandam. Intellexerunt enim viri præstantissimi, quam nocet animo, quam corpori otium, quantum actuosæ vitæ contemptum, quantum insinuet odium; quibus ne malis pateret ignara illa ætas, et ab honesta exercitatione, usuque desuesceret, omnibus modis, graviori etiam animadversione, pestem illam comprimendam, eliminandamque statuerunt. Nec ego Stoicam heic quamdam acerbitatem eadem hac ipsa in animadversione dominari velim, nec Spartano ritu ad sanguinem usque pueros dilacerandos, ac divexandos jubeo: novi enim quid cogitet hac in re molle hoc sæculum, nimium quantum veteribus institu-

tis haud multo certe cum consilio infestum; sed illud ajo, quod ne lenissimus quisque, nisi putidæ omnino mentis, negare ausit, inter reliqua sapientissime, sagacissimeque inventa ad cohibendam ignaviam, atque industriam excitandam non ultimum profecto locum pœnas habere, quas si quis e medio tollet, ipsos omnis rectæ institutionis nervos, atque animam tollet. Quod quum humanæ prudentiæ in primis consonum, tum divinæ ipsi sapientiæ non adversum vel is intelliget, qui primoribus modo labris sacras paginas degustavit: ibi enim non jam externis moderatoribus,. ac magistris, sed ipsis puerorum parentibus suadentur virgæ, tum reliqua certe errata, tum laboris potissimum fugam emendaturæ, atque contemptum. Quid? nonne ipsius cælestis sapientiæ documentum est, imponendum homini jugum a prima usque ætate, ne luxuriantes otio animi, tanquam ferocientes equi, in omnem cupiditatem, atque audaciam effundantur? Quid au-

tem jugi nomine, nisi laboris patientiam intelliges, quo teneræ mentes ita subiguntur, atque edomantur, ut nihil postea tam arduum, atque asperum sit, quod non recenti usque alacritate, atque incenso studio persequantur? Quo pacto autem injicies, aut sustinebis hoc jugum? Molline manu, et facili palpatione? Raro sequentur, sæpe etiam obluctabuntur. Morsu, et fræno? Primo fortasse calcitrabunt, victi tandem adsiduitate colla submittent. Cujus quidem universæ rei quum innumera nobis exempla quaque versus occurrant, tum illud reor gravissimum, ac locupletissimum, quod ex veteri Persarum historia adhibet Plato. Quum enim magnus ille Cyrus omnium omnino potentissimorum, sapientissimorumque regum clarissimus extitisset, rebusque gestis, et nominis sui fama totum terrarum orbem implesset, liberi ejus inertia, luxuque confecti adceptam a Patre gloriam, florentissimumque imperium pene delerunt. Id autem ex sagacissimi Philosophi sententia non

aliunde profectum, quam quod Cyrus ex severa illa Persarum disciplina institutus, quum magnam corporis, animique vim patientia, usuque laborum nactus esset, eam perpetuo deinde aluit ad bellicosissima regna, et ferocissimos hostes arma circumferendo; qui postea talis, tantusque vir non intellexit, se quum liberos suos alia prorsus ratione domesticas inter jucunditates feminarum, servorumque arbitrio relinqueret, omnibus eos exitiis objicere. Sed quid longinquis exemplis indigemus, quum propiora nobis in promptu sint, tanto etiam nobiliora illis, et clariora, quantum Romani non bellica solum gloria, sed ipsa sapientiæ laude cunctis gentibus præstitere? Quis igitur laboriosior eo populo, quis magis domi, militiæque exercitus, apud quem ne ipsi quidem ludi, et animorum relaxamenta corporum contentione vacabant? Nam quid aliud Circi, quid ipsa Campi ludicra adeo cupide, ac frequenter in regina illa orbis terrarum a cunctis civium ordinibus,

strenuaque in primis juventute repetita, quam specimina quædam, atque incitamenta laborum? Utinam vero nostris etiam moderatoribus hanc Deus Optimus Maximus mentem injiceret, ut ipsa adolescentulorum, puerorumque solatia ad quamdam non inutilis exercitationis speciem conformarent! Utinam hanc illi omnino opinionem imbiberent, nil ut perniciosius otio, sic labore fructuosius per omnem deinceps vitam fore, nec aliunde alterutram consuetudinem, quam ex ipsa instituendi consuetudine, habituque profluere! Fac enimvero duos pueros diversa eductos disciplina, alterum adsiduo usu, et patientia pene occalluisse labori; alterum raro, ac leniter in eo stetisse: educ illos e carceribus umbratilis illius disciplinæ medium in campum, ac pulverem: quæ varietas, bone Deus! quale, quantumque discrimen! Ille ipsis oculis, ac spiritu totum stadium vorabit: hic tædio, ac mœrore confectus vix, aut ne vix quidem prima intervalla metietur: illum nulla unquam aut dif-

ficultas deterrebit, aut commodum avocabit, aut voluptas retardabit: hunc nedum pedem efferentem exanimabit longa rei mora, tum delicatæ vitæ amor suis illecebris irretitum omni deflexui accomodabit, ac diverticulo: illi exempla majorum, præmia æqualium, adclamationes hominum, spes, ac splendor immortalitatis, omnia denique omnes faces suggerent ad gloriam: huic semisomni, ac semimortuo vix amplæ cujusdam utilitatis species, sæpius vero et damni metus languorem minuent: hujus certa quidem calamitas, illius summa, ac stabilis fortuna. Et re quidem vera quid hic mihi puer ea usus disciplina, quum tirocinium posuerit, rebusque se gerendis dederit, quid, quæso, quod magnopere sibi atque aliis prosit, adferre in medium poterit? Mitto, quod nec suis cupiditatibus imperare, nec alienas moderari (qui primus, ac maximus fructus est, et sine quo nullus satis dignus homine fructus esse potest) ullo is modo valeat: non enim nunc animi, sed ingenii bona

spectamus. Igitur si litteras sua ipsius voluptate, vel aliqua spe commoditatis colet, mediocrem eum, aut multo etiam minus nulla hominum fama, admiratioque celebrabit : si aliis tradendas suscipiet, incuriosi, et præpropere omnia miscentis dicam nemo certe illi eripiet : si se sacris mancipabit, morosum, difficilem, importunum, incommodum gravissimæ quæque sanctissimarum rerum procurationes, ipsaque venerabiliora religionis mysteria nanciscentur: si ad profana se vertet, nil quidem eo aut patrono negligentius, aut jureconsulto fastidiosius, aut judice oscitantius, aut præcipitantius medico: quum veterem illum morem elanguescentis vitæ usu, annisque confirmatum ne ipsis quidem molestiis, damnisque concussus ulla se ratione exuere posse desperet. Quid igitur ex hoc homine emolumenti capient litteræ, aut respublica, quum ne sibi quidem satis ipse utilis queat esse? Confer nunc impigrum illum adolescentulum, qui a prima usque ætate acri excultus disci-

plina labore corpus, adsidua animum contentione firmavit; quos hic saltus, per Deum! quos volatus alacer, expeditusque tentabit! quam prompte, quam leviter sursum vorsum per ardua quæque, ac prærupta excurret! Sacrisne fungetur? ne parvum quidem temporis momentum otiosum effluere sibi sinet vel vetera studia repetendo, vel pueros instituendo, vel urbem, vicosque concionibus obeundo, vel xenodochia, nosocomia, carceres, receptacula omnium sordium, atque importunitatum celebrando, vel excipiendo confessiones, vel utilia christianæ rei, et populorum saluti scriptaque, factaque meditando, vel sanctis utcumque ministeriis, curisque serviendo, vigili semper mente, nec fractis unquam viribus, non fabulosus ille quidem Hercules, sed certe majus quiddam, quam quod humanæ imbecillitatis, atque inopiæ videri possit. Medicinæne, vel jurisprudentiæ, vel agendis causis vacabit? vetus ille mos, consuetudoque laborum in maximis, in minimis, omni in re

vividum eum, atque efficacem dabunt. Quid vero si rempublicam administrabit, summosque magistratus capiet? Quid si honesto otio contentus a rebus gerendis abstinebit, et totum se studiis dicabit, ac litteris? Heic vero dici satis non potest, quo ille ardore conflagraverit ad ardua quæque expedienda, atque explicanda, non animo, non corpore conquieturus, dum vel novis inveniendis, vel veteribus illustrandis, vel augendis utcumque artibus, scientiisque omnium mortalium utilitati, sibique, ac nominis sui immortalitati consulat.

Quum vero Isacus Causabonus eo die, quo uxorem cepit, vix sex horas studio se dedisse ægre semper omni deinceps vita tulerit; quum Alexius Symmachus Mazochius, fabris se ferrariis, ceterisque artificibus ad servilia opera antelucano tempore præverti, maximum semper piaculum duxerit; quum tot veteres, novosque sapientes longas sæpe peregrinationes marium, terrarumque ad extremos usque orbis terminos ipso cum vitæ discrimine in incre-

menta disciplinarum, atque artium suscepisse se non tæduerit; quumque singula fere sæcula hisce ipsis exemplis copiosissimis, splendidissimisque redundent, eritne quisquam tam demens, qui aut tot curas, vigiliasque clarissimorum omnis memoriæ virorum improbabit, aut ad tantam eos contentionem sine acri disciplina, et puerili, ut ita dicam , velitatione pervenisse putabit, aut sua ipsius, et reipublicæ commoda tam parvi habebit ? Recedant igitur inepti homines , nec vocem promant ignaviæ, atque audaciæ suæ indicem , qua vel nos reprehendant , quasi qui onus durissimæ servitutis teneris præsertim cervicibus imponamus, vel ipsi se probent, quasi qui mitiorem sapientiæ viam hominibus invenerint. Nulla sine labore sapientia , nisi si qua fugax, fallaxque sapientia sit : nulla satis certa, ac stabilis fortuna: nullum humanæ societatis firmum , ac durabile emolumentum est : cui quidem labori qui se vel adsuescere posse , vel vivere sine multa palæstra, multoque oleo

ineuntis ipsius ætatis, ac recentium adhuc virium putat, is se eodem modo volitare per aëra, et Oceanum pernavigare sine pennis, ac sine navi putat :

...Adeo in teneris consuescere multum est!
sapientissime adclamat sapientissimus Poeta.

Quæ quum ita sint, Adolescentes Optimi, (nec enim longius extrahetur oratio mea, et vos potissimum ipso in exitu suo compellabit) jam lætandum summopere mihi vobis, et jure gratulandum esse video, quod singulari Dei Optimi Maximi providentia eam institutionem nacti estis, in qua si quid fortasse etiam desideratur, quod inesse in re perfecta, expletaque omnibus suis numeris, ac partibus solet, multa tamen conspiciuntur et ea ipsa, quam quærimus, disciplinæ laude non indigna, et ad illam brevi adsequendam satis commode comparata. Cui quidem perfectæ, expletæque disciplinæ dum moderatores vestri pro sua quisque parte certatim modis omnibus velificabuntur, ne vos pigeat, Adolescentes, quod vestra

interest, eidem sapientissimæ disciplinæ vestras cogitationes, consilia, curas, vestra ipsa corpora, et hunc vividissimæ juventæ florem dedicare, ne culpa vestra pereat, quod pro vestra utilitate suscipitur. Quæ enim stultitia, vel qui furor esset, tot præstantissimorum virorum labores evertere, ut vobis ipsi non unius modo, aut alterius anni, sed totius vitæ vestræ exitium, atque infamiam creetis? Quin erigite vos, Adolescentes, atque ita existimate, quod vera nempe vos sapientia, atque omnium sæculorum experientia docet, non posse vos ad plenam facultatem cujuscumque rei, quæcumque tandem vobis in animo sit, pervenire, non claros esse, non opulentos, non nobiles, non doctrina, non fama, non dignitate florere, non utiles esse vobis, non reipublicæ, non patriæ, non ipsi in primis Ecclesiæ, quæ magnas jamdudum de vobis conceptas spes habet, nisi tanquam strenui tirones vitam vestram acri sub imperio, ac disciplina maximis laboribus devoveatis, vo-

bisque animorum, ac corporum patientiam adsiduis meditationibus comparetis, duraturam ipsius vi disciplinæ omne reliquum ætatis tempus, vestrisque, atque omnium vestrum votis cumulatissime satisfacturam. Hæc est una via, mihi credite, et honoris, et fortunæ, et laudis, et dignitatis.

DE DIVI JANUARII
PRÆSENTISSIMA OPE
NEAPOLITANIS IN REDIVIVO EJUSDEM SANGUINE
DIVINITUS CONSTITUTA

ORATIO

Habita postridie Idus Sept. 1857.

Si locus, si tempus, si argumentum ipsum dicendi, Eminentissime Princeps, Auditores doctissimi, Oratorum plerumque animos, et studia reficere solent, ac sustinere, nobis quidem odierna die apud vos dicentibus copiam, animumque quam maxime minuunt locus, tempus, argumentum. Quid enimvero magis arduum est, ac difficilius, quam ex hoc amplissimo loco de Divi Januarii in Neapolitanos patrocinio apte, congruenterque dicere

selectissimis quibusque ex Neapolitanis ipsis audientibus? Qui ejusdem patrocinii vim in se toties experti res omnes suis quasque locis, ac temporibus notatas ita in animum, mentemque digestas habent, ut vel disertissimi oratoris eloquentiam longe prætergrediantur? Quid vero, quod his potissimum diebus, jam omnium animis ipsa solemnis festi expectatione prope æstuantibus, nihil possit dici aut tam vehemens, aut tam exquisitum, quod non vulgare, et frigidum videatur?

Verumtamen, Auditores, quantum hujusmodi cogitatio nobis detrahit facultatis, tantum spectatissima vestra in communem Patronum pietas, ac religio adfert fiduciæ ad susceptum opus pro viribus absolvendum; non enim ad vanam quamdam nostri ingenii ostentationem (quod quam sit exiguum nos ipsi sentimus) id argumenti pertractandum suscepimus, sed potius eodem, ac vos, animo adfecti aliquam Divo Januario pro tantis in nostram civitatem meritis gratiarum actionem

hoc publico testimonio exornare voluimus. Maxima igitur, qua poterit, brevitate præsentissimam Divi Januarii opem Neapolitanis in redivivo ejusdem sanguine divinitus esse constitutam ostendemus.

Res ipsa, Auditores, si non novitate, at dignitate sua vel nobis tacentibus vestram exigit benevolentiam.

Atque hic plurimas, easque maximi ponderis ad nostri Hieromartyris patrocinium rite æstimandum insitas rationes Theologis relinquentes facta potius, gravissimaque rerum momenta pro re nata expendemus; eo præsertim, quod vel ex hoc uno tot, tantaque ad rem nostram demonstrandam suppetant argumenta, ut rerum dicendarum copiæ nulla prorsus oratio par esse videatur. Sive enim tot retro sæculorum nunquam intermissam se-

riem inspiciamus, sive ipsius patrocinii vim, naturamque paulo attentius perscrutemur, quam ingens laudationis seges nobis colligenda oborietur!

Ex quo enimvero Urbs hæc Neapolis sacra tanti Martyris pignora suo sinu lætabunda excepit, num annus, num mensis, num dies una præteriit, quam non insigne aliquod ex Januarii in patriam caritate beneficium distinxerit?

Nonne ex primo illo veluti triumphali opimorum spoliorum in hanc urbem ingressu Neapolitanis patuit divino prorsus factum esse consilio, ut ex tot cælestis aulæ principibus Divum Januarium in præsentissimum sibi, et præcipuum Patronum eligerent, ac venerarentur? Cujus profecto admirabiles Patrocinii effectus si ut majores nostri adversus impendentia quovis tempore mala semper experti sunt, publicisque monumentis posteritati commendarunt, ita et nos satis apto dicendi genere in quadam veluti tabula effictos

vestris nunc oculis subjicere possemus, haud parvam grati animi significationem ederemus, ac plenissime nostræ partis officio perfungeremur. Quid enim vel majus, ac magnificentius ad tanti Martyris gloriam provehendam, vel aptius, et opportunius ad vestram religionem fovendam posset excogitari, quam quidquid unquam beneficiorum in universam Neapolitanam gentem per tot sæcula Januarii ope a Deo fuerit collatum, id omne tanquam uno oculorum ictu videndum, suspiciendumque exhibere? Sed si tantum operis nostræ linguæ denegatur, animo id vestro, et cogitatione vos consequi potestis, Auditores. Percurrite, quæso, mentis vestræ pernicitate singulas hujusce urbis generationes; antiquissimam Patrum vestrorum pietatem, ac sapientiam percunctamini. Num sereni semper nostris hisce regionibus illuxere dies? Quoties hæc Urbs præclara immanissimos hostes pulchritudine, ac divitiis ipsa suis allexit, eosque quotidie magis ferocientes exhorruit? Et

quisnam in summa civium trepidatione, desperata omni humana ope, hostium furorem cohibuit? quis tranquillitatem restituit civitati? Nonne ille ipse sanctissimus Antistes Januarius, qui vivens adhuc rabidos olim mansuefecerat leones, nunc vultu gravi admodum, trucique apparens insanientem quemdam perfugam ab impio prodendæ patriæ consilio deterruit: nunc barbaros prædones Christiano nomini infensissimos, prætoria navi in summa cæli, marisque temperie mirabiliter submersa, ab incepta diu, obstinataque urbis oppugnatione avertit: nunc denique innumerabiles militum copias triplici corona miseram hanc urbem circumvallantes tum per confertas equitum turmas Cruce armatus discurrens, tum inter varias peditum stationes minitabundus noctu incedens, tum insperata summi Principis morte disperdidit, ac fugavit? Id scilicet, Auditores, testatum posteris voluerunt Patres nostri et pulcherrimis pictis tabulis, et argenteis quibusdam signis, quæ brevibus

hisce vocibus inscripta *represso bello, regnoque pacato*, nimium quantum et efficax Januarii Patrocinium, et Neapolitanorum gratum animum commendant (1).

Sed quid ex bellorum incendio servata essent nostræ Urbis mœnia, si duo posthac crudelissima monstra, fames, ac pestis, eam civibus viduassent? Non semel enim, altrix mea Neapolis, quum sive corrupto aëre, seu sata negante terra viri passim, jumentaque interirent, non semel, inquam, tanta domorum, viarumque tuarum celebritas in vastæ solitudinis commutata esset horrorem, nisi extremo discrimini tuus Ille vere natu maximus Januarius vi sua occurrisset. Unus, unus hic, tanquam novus Aaron, mortuos inter, ac viventes constitutus fratrum suorum lacrimas ebullienti suo sanguine commixtas Deo offerens sanitatem Patriæ, agrisque ubertatem exoravit. Atque tunc quidem, Auditores, Neapolitana civitas tantis obstricta beneficiis sanctissimo quodam certamine cum

Patrono suo veluti contendere visa est, augustum illud ex voto, ac nobilissimum Sacellum excitando (2); quo uno in loco tot artis, operumque divitiæ congestæ sunt, ut merito ambigatur, an Patrum nostrorum pietas majus aliquid, ac magnificentius edere potuisset. Quid porro referam tot exinde fana, totque sacras ædes Divo Januario dicatas et hic intra mœnia, et ubique, qua late patet Neapolitanum nomen, certatim extructas? quid tot imagines, ac signa sive ex marmore, sive ex ære ad certissimum Urbis præsidium erecta? quid tot litterata marmora passim per urbem totam disseminata? quid sive argentea, sive aurea numismata Urbis fundatori, restitutori quietis, invicto malorum omnium domitori procusa? Nonne hæc publicæ religionis monumenta præsentissimum Januarii in Neapolitanam civitatem patrocinium nunquam nec rerum, nec temporum vicissitudine intermissum disertissime testantur?

Sed taceant monumenta, mutæ sint lite-

ræ, antiquitas omnis conticescat: num ad evincendam Januarii in hanc Urbem protectionem non satis erit ignivomus Mons ille, qui dum horrendis suis boatibus vel dissitas regiones contremiscentes ingenti semper perculit terrore, Neapolitanæ tamen urbis cælo amœnitatem addit, ac salubritatem? Quis enimvero Patribus nostris tristissimum jam Pompejorum excidium metuentibus toties erexit animos? Quis tuos, terribilis Veseve, tumentes igneos fluctus fregit, ac domuit? quis exundantium flammarum impetum extinxit? quis densissimas nigricantium cinerum globos procul avertit? Januarii virtus hæc fuit: Januarii invicta manus tuum comprimens furorem ab Urbe, ab agris conflagrationis, ac vastitatis, quod imminens minabaris, periculum sæpissime propulsavit. O præsentissimum Neapolitanæ civitatis præsidium, ac sortem magnopere invidendam! O vere fortunatos majores nostros, qui gravissimis licet malorum fluctibus jactati infelicium temporum ca-

lamitates felicissimæ opis præstantia superarunt!

Verumtamen nihil est, Auditores, quod nos hac ipsa in re majorum nostrorum felicitati invideamus. Non enim profecto nobis deest Patronus, ac Vindex, quo Illi uno adeo lætabantur. Nos, nos quidem non tantum hujusce Urbis, quam Patres laboribus suis florentissimam reliquerunt, quantum pietatis eorumdem, ac religionis in Divum Januarium hæredes esse merito gloriamur. Spirat, spirat adhuc inter nos venerandum Caput illud, ac nobiscum vivit Sanguis ille immortalis; quo nihil unquam carius, nihil pretiosius Neapolitanis poterat contingere; quum nova semper, atque admirabilia per ipsum prodigia quotidie renoventur. Quis enim nostrum funestæ illius noctis obliviscatur (4), in qua, quum terra vehementi quateretur motu, ac subsiliret, certissimam sibi quisque mortem imminere pertimescebat? Et in illa animorum trepidatione quodnam aliud miseris patuit perfugium, nisi

spectatissimam Januarii opem corde potius, quam ore implorare? præsertim quum in tanto discrimine illud unum omnium animis occurrerit, Januarium in solemni Patrocinii sui die extremam Urbis ruinam haud fore passurum? Et revera, Auditores, Ille nos, Ille ab eodem tristissimo excidio, quo tot millia hominum misere periisse indoluimus, potenti sua veluti manu eripuit, ac vindicavit.

Atque hic nisi et immensum opus aggredi, et vestra nimium patientia vereremur abuti, quam latissimus pateret nobis campus oratione omnia persequendi, quæcumque ex Divi Januarii patrocinio, tanquam ex perenni fonte, in publicam, ac privatam rem effluunt bona; quorum nos ipsi singulari Dei beneficio et testes, et participes esse maximopere lætamur. Sed illudne etiam, antequam dicendi finem faciamus, beneficiorum omnium maximum taciti præteribimus, quod Januarius divinum Catholicæ fidei semen inter nos redivivo suo sanguine, cælesti velut irrigatione, fœcundet,

provehat, tueatur? Quis enimvero alius in tanta temporum, ac morum iniquitate, quum perversi homines specioso humanitatis nomine venenatas doctrinas in vulgus disseminent; quum nova errorum monstra occulte per urbes serpere audiantur; quum in aliqua etiam Italicæ peninsulæ urbe profana templa, insaniente nescio qua ratione, excitentur, quis, inquam, nostram hanc civitatem, regnumque Neapolitanum universum in veræ fidei soliditate confirmat? quis Patrum nostrorum religionem? quis veterum traditionum sanctitatem ab omni prorsus errore immunem conservat?

Tu nimirum, Sanctissime Pontifex Januari, et olim Catholicæ Religionis fidem tuo sanguine invictus Martyr obsignasti, et nunc Neapolitanorum tuorum fidem reviviscentis ejusdem sanguinis prodigiis integram, inviolatamque vigil Patronus fovere nunquam desistis. Salve igitur certissima spes nostra, tuæque Neapolis adversus omne genus hostes

firmissimum præsidium. Si Te Patres nostri meritissimis titulis et Tutelarium suorum principis, et publicæ rei statoris, et urbis, regnique sospitatoris, et amantissimi communis patriæ Parentis appellarunt, nos quoque Te potiori jure nostræ Religionis adsertorem, nostræque fidei propugnatorem salutabimus, quum malis omnibus præsentissima ope Tua, ut semper antea, superatis perpetua Ecclesiæ pace, ac securitate per Te ipsi perfruamur.

ADNOTATIONES

(1) In Neapolitanæ Cathedralis Hypogeo, ubi Hieromartyris Januarii corpus adservatur, duodecim ex argento Aquilæ conspiciuntur, quæ dum pulcherrimas capitibus lampades, unguibus vero totidem sustinent tabellas variis hisce inscriptas notis :

I. Sancto Januario Vindici.
II. Grati Cives anno MDCCVII.
III. Concordia Parta.
IV. Bello Represso.
V. Patria Servata.
VI. Regno Pacato.
VII. Lætitia Restituta.
VIII. Vesuvio Coercito.
IX. Cinere Abacto.
X. Tenebris Disjectis.
XI. Igne Restincto.
XII. Metu Propulsato.

(2) Sacellum hoc, cui hodie ex Thesauro factum est nomen, Neapolitana Civitas sæviente vi pestis anno MDXXVII. vovit, ejusdemque auspicalem lapidem jecit VII. Idus Junii MDCVIII. In hujus vero fronte legitur perquam clegans επιγραφη :

Divo . Ianuario
E . Fame . Bello . Peste
Ac . Vesævi . Igne
Miri . Ope . Sanguinis
Erepta . Neapolis
Civi . Patrono . Vindici

(3) Multa sive ex argento, sive ex auro numismata procusa sunt Neapoli variis inscripta notis, et insignibus ad æternam beneficiorum per D. Januarium huic urbi divinitus collatorum memoriam: inter quæ præstat illud, quod ex altera parte Martyris imaginem præsefert hisce verbis : *Divo Januario, liberatori urbis, fundatori quietis* : et ex altera sanguinis ampullas exhibet hoc carmine :

Postquam collapsi cineres, et flamma quievit.
Cives Neapolitani incolumes anno MDCCVII.

(4) Innuit heic Auctor vehementem illum terræ motum XVII. Kalendas Januarii 1857; ex quo nihil omnino damni perpessa est Neapolis recurrente die festo Patrocinii D. Januarii.

NICOLAI LUCIGNANI

DULCISSIMI . PATRUI . MEMORIAE

QUI

SUIS . NON . SIBI . VIXIT

VINCENTIUS . EX . FRATRE . FILIUS

PRO . SUIS . OMNIBUS

HOC . QUALECUNQUE . POTEST

GRATI . ANIMI . TESTIMONIUM

CUM . LACRIMIS

D. D. D.

LECTORI ERUDITO

FRANCISCUS VENTRIGLIA S.

Habes hic, Lector humanissime, quoddam veluti specimen (1) tot Carminum tum Latiali, tum Italico sermone exaratorum, quibus Clarissimi, doctissimique Viri Nicolai Lucignani

(1) Epistola hæc cum inscriptione, et quæ sequitur Oratio, excerpta est ex variorum carminum libello, cui titulus : *Memoriae Nicolai Lucignani Puteolanae Ecclesiae Canonici in Regio Archigymnasio Neapolitano Latinae Eloquentiae, Poëseos, et Archaeologiae Professoris etc. admiratorum, atque amicorum supremum officium.* Anno R.S. MDCCCLV.

memoriam admiratores, amicique ipsius debito tanquam officio sunt prosequuti. In quo quidem specimine typis evulgando non ea sane nobis mens fuit, ut haec potius, aut illa ex carminibus seligeremus, quum omnia et in hac Urbe Principe, et Puteolis in doctorum hominum ad id habitis conventibus non sine plausu recitata fuerint, ac benevolis auribus excepta. Si quid porro fuit, quod nos quodammodo impedivit, quo minus omnes hujusmodi lucubrationes uno simul volumine complecteremur, ingenitus quidam timor extitit, ne forte morosiores quosdam nimia laudum segete offenderemus; propidereaque brevitati hac in re, quam copiæ consultum ire maluimus. Ceterum iis omnibus, qui τοῦ μακαρίτου nomini supremum observantiæ, et amicitiæ officium suis præconiis persolverunt, hoc publico grati animi testimonio gratias agimus immortales, et, quod maximum est, communi nostrum omnium Patriæ vere gratulamur, quod hic inter nos incolumem vir-

tutem sua maneant præmia, et ipsi ex oculis sublatæ suus pro meritis honos tribuatur.

Quod vero ad nostram attinet Orationem, sic paucis habeto, eam prorsus ipsam esse, quæ Eminentissimi Domini Xysti Riarii Sfortiæ Cardinalis jussu et scripta, et habita fuit in Archiepiscopali Lyceo XV. Kal. Octobris: quare ne mireris, si ne unum quidem in ea verbum de Viri virtutibus inveneris, quum Antistes ad juventutis utilitatem Nicolaum sane nobis laudandum demandaverit, sed ea profecto ex parte, quæ veterem nostri Seminarii, ac solidiorem institutionem respiceret. Quam porro nostræ Orationis veluti lacunam explere quamprimum in animo est, brevi aliquo de vita, ac rebus gestis Nicolai Lucignani commentario, quem σὺν Θεῷ ejusdem operibus litterariis præponemus: Is enim ita scripsit, ut jure laudaretur a doctis, et sic vixit, ut dignus sit, quem boni omnes imitentur.

Hæc te monitum voluimus. Vale.

DE LAUDIBUS

NICOLAI LUCIGNANI

ORATIO

Quum difficillimum, ac maxime necessarium, Eminentissime Princeps, Auditores, quotquot estis, Ornatissimi, ad universæ societatis bonum sit litterariæ juvenum institutionis opus, nemini profecto dubium erit, quin illi inter mortales, qui in hanc exornandam provinciam omne suum studium,

cogitationesque contulerunt, meritissimis sint genus omne laudibus, ac præconiis cohonestandi. Quotus enim quisque est, qui nesciat immensum sane, ac prope dixerim infinitum deberi juventutis educatoribus, ac magistris, quorum opera, et solertia destitutæ civitates optima quæque ingenia per summum dedecus obtorpescere, melioresque spes patriæ intercidere frustra quererentur?

Quam quidem maximi ponderis veritatem vel Tu in primis, Praesul Eminentissime, ab ipso Pontificatus tui exordio profiteri nunquam destitisti, et hodierno die in hac doctissimorum hominum frequentia testatam omnibus publice voluisti. Tu enimvero et imagines tot illustrium Virorum, qui litterariam præsertim juvenum institutionem suis laboribus provexerunt, in hoc sapientiæ domicilio depictas sæculorum venerationi consecrasti (1), et nunc nostrum omnium vota prætergressus Nicolaum Lucignanum, qui pressius illorum ipsorum institit vestigiis, publico, inusita-

toque laudationis genere nobis decorandum summa benevolentia demandasti : quo nihil vel ad illius gloriam majus, vel ad Tuæ sapientiæ laudem dignius, vel ad nostri grati animi testimonium jucundius unquam poterat accidere. Quis enim nostrum est liberaliter educatus, cui non cum grata recordatione in mente versetur Præceptor ille amantissimus, qui nostros animos doctissimis suis curis ad omnem humanitatem informavit, qui nos, qua ope cumque potuit, ad hanc, si qua hominum est, de ingeniis nostris existimationem adduxit, qui denique literas nostras immortalibus suis scriptis ad Neapolitani nominis famam mirifice illustravit ? Quamobrem Tuæ nos voluntati, Eminentissime Princeps, perquam libenter obsequuti, tanti viri memoriam laudibus prosequemur ; in quo ita orationem nostram moderabimur, ut quicquid de Nicolai Lucignani meritis per nos hic dicetur, ad unius institutionis summam referatur, qua et ipse a puero informatus fuit,

et alios ad extremum usque spiritum informandos curavit; atque hac ratione majorum etiam nostrorum sapientia in litteraria hujusmodi institutione provehenda commendabitur.

Vos interim, Auditores præstantissimi, ejus Viri laudibus, qui totam vitam juventutis bono devovit, parvi temporis usuram ne denegetis.

Atque nihil hic in hujusce nostræ Institutionis utilitate, ac præstantia demonstranda immorandum nobis esse arbitramur, utpote quæ et validissimis rationibus, quibusdàm veluti basibus, innixa fulciatur, et tot sæculorum experientia, hominumque literatissimorum documento una omnium sapientissima evincatur. Quid enim non optime sperandum ex ea instituendi ratione, qua juvenum ingenia, tanquam novales agri, mature exco-

luntur, atque ad virtutis, doctrinæque accipienda semina, (quæ feliciter subolescentia fructus ferant uberrimos), præparantur, ac quodammodo subiguntur? Quas quidem pulcherrimas spes quanto lætiores semper rerum eventus, felicioresque bonorum omnium segetes quovis sunt tempore subsecutæ! Quis enimvero in tanta nostrorum temporum ignoratione versatur, quem fugiant clarissima tot illustrium virorum nomina, Caroli, et Januarii Maiellorum fratrum, Martorellii, Calcii, Ignarræ, Carcani, Aulæ, Lilii, Rossii, Ciampittii, aliorumque quamplurimorum, qui ad rem Ecclesiasticam, et Civilem illustrandam, remque literariam publicam ingenii sui fœtibus locupletandam ex nostris hisce mœnibus, atque ex hac una institutione, tanquam ex copiosissima omnium artium, ac disciplinarum officina prodierunt? Atque his nimirum omnibus, Auditores, viris doctissimis adtexendus est Nicolaus Lucignanus, qui et ea ipsa informatus fuit institutione, et eorum ipsorum

gloriam maxima est contentione æmulatus: quod ut luculentius vestris oculis perspiciatis, primam illius temporum memoriam breviter repetamus. Recens ea tempestate, ac singulari Dei Optimi Maximi providentia ad Puteolanam regendam Ecclesiam evectus fuerat Carolus ille Rosinius, cujus nomen immortalitate dignissimum et præclarissimis gestis rebus, et eruditissimis scriptis operibus in animis hominum vivet quam diutissime, et vigebit in fama temporum sempiterna. Vir hic sagacissimus quum in Neapolitano hoc Seminario excultus admirandos suos in litteris, scientiisque progressus, omnesque dignitatum, atque honorum adcessiones sapienti majorum institutioni referret acceptas, cogitationes omnes ad id unice convertit, ut eamdem illam juvenes instituendi rationem secum illuc transferret, ac latissime propagaret. Atque dici vix potest quantas Ille molestias pervicerit, quotque exantlaverit labores, ut Seminarium illud abrogata, si qua erat, abnormi disciplina, et vetere deterso

squalore ad elegantiorem cultum adduceret, ac magnificentiorem. Quamobrem nemini mirandum, si laboriosissimi hominis, doctissimique curis, ac vigilantia eo res brevi perducta fuerit, ut confluentibus undique adolescentulis spatia deessent, et Puteolanum Seminarium, quod antehac, an existeret, ignorabatur, jam tum de gloria cum illustrioribus Ephebeis contendens magis in dies longe, lateque celebraretur. Atque his quidem temporibus, et florente hoc rerum statu forte obtigit, ut Nicolaus vix septennis puerulus ex publico de Christianæ fidei rudimentis periculo, satis læto sui Nominis auspicio, victor discederet, et munificentissimi Præsulis liberalitate ad reliquorum etiam incitamentum intra Seminarii mœnia exciperetur (1). Fuit hic, Auditores, fertilis-

(1) Heic non abs re esse ducimus verba ipsa Clar: Lucignani ad Præsulem suum Rosinium scribentis referre. « Enimvero non queo, Præsul Amplissime, non mecum sæpe animo repetere dulcissimam illam meorum temporum memoriam, cum me balbutientem adhuc puerulum Christianæ fidei

simus ille ager, in quo Noster veluti felix satus palmes et vi ipse sua, et industrii agricolæ manu excultus in spem maximam erexit animos aliquando futurum, ut maturescentium fructuum copia votis omnium esset satis, superque cumulatissime facturus. Neque nos hic puerum per varios grammaticæ ludos tanquam exultantem deducemus; quamvis et hac in re nostri fortasse adolescentes, quid suspicerent, et imitarentur, haberent: sed ad majora properantes totum id sic paucis contenti erimus expedire, eo Illum animi ardore, ac successu literarum studia aggressum esse, eaque deinde

rudimenta satis alacriter coram te, pront ea erat ætatula, pronuntiantem primum quidem bene sperare jussisti, mox inter hujusce tui Seminarii alumnos adnumerasti, tum diligentissimis præceptoribus, quorum plerosque ex urbe principe mea potissimum de caussa accisti, non tanquam unum e multis, sed tanquam eum, qui instar tibi multorum esset, quotidiana adsiduitate, ac vigilantia commendasti, etc. ». In Epist. præscripta Commentario — *In vetus litteratum marmor Puteolis effossum*, — quam legesis.

alacritate Rhetorices, ac Poëtices stadia decurrisse, ut et æquales omnes longo præverteret intervallo, et jam inde, qualis in iisdem facultatibus futurus esset, facili quis conjectura divinaret. Namque ut erat peracri ingenio præditus, tenacique memoria, adeo discendi, cognoscendique vel supra ætatem cupidissimum se omnibus probavit, ut in Latinis, Græcisque exemplaribus pervolutandis nihil aut tam arduum, ac difficile occurreret, quin statim arriperet, aut tam obscurum, ac multiplex, quin distincte, fideliterque retineret. Cui quidem juvenili studio, ac cupiditati ut velificaretur Rosinius, (ratus ille quidem non tanquam unum e multis, sed tanquam eum, qui instar multorum esset, sibi esse instituendum) et illius potissimum de caussa ex hac urbe principe doctissimos præceptores arcessivit, et summam, ac nobilissimam ejusdem institutionis partem sibi ipse vindicavit. Intelligebat enim acerrimus ingeniorum æstimator neminem, in re maxime litteraria, nisi diuturna

exercitatione, optimisque sub ducibus, ac magistris, optimum fore unquam evasurum. Quapropter Ille Philosophicas, ac Theologicas disciplinas, necnon sacros Canones, prout ætatis, locique ratio ferebat, satis edoctus, et suo ipse ingenio, et Præsulis obsequens voluntati ad politiorum literarum castra redeundum, ibique velut placida in statione sibi conquiescendum judicavit. Tunc sane, Auditores, perquam luculenter patuit, quidnam in litteris posset felix juvenis ingenium improbo semper exercitum, nec ullo defatigatum labore: si enim ardua quæque vincit labor, et omnia vel difficillima perspicaci cedunt ingenio, nonne ex rara utriusque conspiratione præclarum illud, ac prope singulare extitit sive sentiendi, sive scribendi genus, quod adeo in admirationem illius ætatis rapiebat animos, ac tantopere ab omnibus commendabatur? Quid vero, quod hujusmodi præsidiis naturæ, atque artis adjuncta fuerit æmulatio, quæ acrioribus undique stimulis

flagrantem per se animum exagitans neque noctu, neque interdiu patiebatur unquam interquiescere? Hic, hic nimirum sacer ignis fuit, quem sapiens Antistes ad acuenda, atque adeo inflammanda juvenum ingenia semper alere inter ipsos, ac fovere omni ope adnitebatur. Hinc profecto crebræ illæ adolescentium institutæ meditationes: hinc privatæ, publicæque discipulorum concertationes: hinc annua cujusvis generis, et maxima severitate obita pericula: hinc varia pro cujusque dignitate nominum, ac meritorum recensiones; hinc solemnes præmiorum, ac munerum distributiones: hinc denique Academici illi conventus maximo adparatu, ac splendore habiti; in quibus selecti juvenes frequentissimis, doctissimisque judicibus ad id ex hac urbe accitis operam suam probare cogebantur. Quos inter præstantioris ingenii juvenes ut excelleret Nicolaus, quæ tum ipsius erat mentis, corporisque contentio? qui ardor animi? qui studiorum, ac vigiliarum nunquam intermis-

sus labor? quæ virtutis, decorisque species irrequieto semper obversabatur animo, ut ipse cuique inspicienti magnum aliquem triumphum jam meditari videretur? Et nulla quidem, Auditores, tam excelso animo, ac tam bene adfecto contingere poterat aut palma nobilior, aut magnificentior triumphus, quam suis lucubrationibus versa, prorsaque oratione et difficillimam severissimi Præsulis gratiam, et lectissimorum hominum suffragia, ac benevolentiam sibi demereri. Atque hujusce generis triumphos non semel Tu (2), Joannes Andresi, (cujus nomen maxima laus est) judicio tuo gravissimo juveni nostro victori decrevisti: quum præsertim pulcherrimo illo latinæ orationi scribendæ a te proposito argumento « An veteres Romani in historia, vel in Poësi, vel in Eloquentia magis excelluerint » non modo palmam præ omnibus Nicolao detulisti, sed datis etiam ad eum perquam honorificis literis victoriam ipsam (prout mos tuus erat) ingenti aureorum copia exornasti. Quam li-

beralitatem Tuam, Vir præstantissime, Ille et secum ipse, quoad vixit, gratissima commemoratione repetebat, et nobiscum sæpissime laudibus extollebat. O felicem nostri juvenis studiorum rationem, ac sortem invidendam! o non frustra ab eo susceptos labores, qui tot, ac tam munificos fautores nacti nec tempestivis unquam fructibus caruerunt!

Hac nimirum ratione, Auditores, et provehuntur literæ, et juvenum ingenia excitantur: quum enim ipsi ex Philosopho spe magis, quam memoria vivant, incredibile dictu est, quanta vi, quantoque impetu rapiantur præmiis, et gloriæ facibus incendantur. Quamobrem nemo jure mirabitur, si dum Nicolaus noster in quodam veluti magnificentissimo theatro positus jam in oculis omnium, atque ore versaretur, et novis usque laudibus hominum doctissimorum floresceret, Rosinius, ne cui in exornando juvene concederet, perhonorificum ipsi præceptoris munus demandaverit: quod quidem et maximum recte fa-

ctorum præmium habitum est, et ad majora semper audenda vehemens incitamentum. Quid enimvero excogitari poterat aut tam novum, ac singulare, quam homini peradolescenti, qui undeviginti vix annos attigisset, tot inter ingeniosos juvenes ab eruditissimo Præsule difficilem litterariæ provinciæ procurationem committi? aut quid tam arduum ipsi, ac laboriosum, quam ingenti de se excitæ hominum expectationi plenissime respondere, in eo præsertim Seminario, cujus mœnia ipsa docentium, ac discentium ardore prope conflagrare videbantur? Quis tandem eo animi robore, ac mentis virtute obarmatus existeret, quin hac laborum, et difficultatum specie maxime perturbaretur, quum veteres ipsi præceptores vel ad nomen illius rigidissimi Præsidis contremerent? Verum, Auditores, hujusmodi genus omne difficultates, quæ quosvis alios ab incepto deterruissent, tantum abfuit, ut nostrum juvenem præceptorem aliquid retardarent, ut ei potius calcaria, ac

stimulos addiderint vehementiores ad novum iter alacrius percurrendum. Atque hic si rem verbis exæquare me posse confiderem, nova prorsus diligentiæ in docendo, ac sedulitatis exempla mihi essent proferenda : referrem illud in primis Præceptorem inter, et discipulos pulcherrimum initum certamen, quo alter alteros ad sua quemque munia rite obeunda excitabat, nec unquam alius alium ex studio, ac fervore aliquid cessare patiebatur : tum varias ab eo commemorarem adhibitas rationes, atque artes, quibus ipse tanquam sapiens imperator tironum suorum ingenium, ac virtutem experiebatur, et nunc dejectos, ac timidos confirmando, nunc desides, et pigros stimulis impellendo, nunc fervidos ipsos magis acuendo, omnes pro suis quosque viribus ad nobilem quamdam contentionem provocabat: multiplices adderem, easque nunquam intermissas dicendi, scribendique meditationes, quibus alumnos suos quotidie exercebat : dicerem . . . Sed possemne

unquam consequi dicendo, quam incenso studio, quam flagranti cupiditate totam hanc docendi rationem tot Ille annos obierit? vel quantas utilitates, quantosque fructus suis curis, ac laboribus pepererit juventuti? Noverunt id quidem omnes illi adolescentes, qui Ipsum et comitem, et ducem, et Magistrum amantissimum experti, ejusque sub auspiciis in penitiorum litterarum recessus deducti fortunam illam suam, auro contra non caram, maximi semper faciendam adfirmabant: noverunt illius loci moderatores, qui Nicolaum et singulari juvenum bono natum, et firmissimum Ephebei columen prædicabant: novit et Ille, quem nil poterat latere, acutissimus Præsul, qui sæpe difficili commisso certamine potioris inter, et minoris ordinis ludos, victoriam alterius partis, quod vix credibile visum erat, Nicolai duci retulit acceptam, eumque doctrinae, ac studii exemplar aliis præceptoribus proponere haud dubitavit. Quapropter haud mirabimur, Auditores, crescen-

tem adeo in dies egregii juvenis gloriam invidiae aliquid excivisse : quamdiu enim fortissimi Scipiones bono publico existent, aderunt et Fabii juvenum virtutem ægre ferentes! illud potius mirum videatur, juvenem Nostrum invidorum obtrectationes, atque artes æquitate, ac prudentia superasse! Atque utinam eadem Ille facilitate ferocientis morbi vim superare potuisset! Namque ex adsidua illa animi, corporisque in studiis contentione adeo male adfecta ipsius valetudo est, ut aliquando fuerit de illius salute desperatum. Quis tunc tam acerbam optimi Præceptoris vicem non doluit? quis, ne simul cum eo juvenum spes melior esset interitura, vehementer non timuit? Verum Deus O. M. qui dives est in misericordia, Nicolaum pene e mortis faucibus ereptum ad majus quoddam studiosæ juventutis bonum, litterarumque incrementum reservabat.

Atque Illum, Auditores, confirmata jam valetudine, et Sacerdotio auctum obiter in-

tuemini in novam, ac multo difficiliorem palæstram descendentem ad juvenes in Oratoriis, ac Poëticis disciplinis exercendos. Jam per vos ipsi intelligitis, quam latissime hic pateat juvenilis institutionis campus; quantam diligentiam, atque alacritatem, quantam doctrinam, atque eruditionem in eo postulet, qui ipsum maxima cum juventutis utilitate excolendum aggrediatur. Quis porro fuit unquam Rhetore nostro aut accuratior in docendo, aut expolitior in scribendo, aut exercitatior in veterum operibus illustrandis, aut in ceteris suis muniis obeundis laboriosior? Hic tunc Ipse omnes ingenii sui vires exerere, omnesque industriæ nervos intendere visus est: hic quicquid divitiarum erat, ex inexhaustis illis Aristotelis, Tullii, ac Fabii thesauris deprompsit: hic juvenum gustum ad illorum exemplarium præstantiam maxima, qua potuit, arte perficere adlaboravit. Atque quanto cum fœnore juvenes tantorum laborum, ac vigiliarum fructus collegerunt! Cujus rei testes, si tempus,

ac locus sinerent, quamplures magni nominis viros proferre possemus, qui nunc et in Civili, et in Ecclesiastica re præclara obeuntes munera et Nicolaum olim se audivisse gloriantur, et quidquid sciunt, vel valent, illius temporis exercitationi se debere profitentur.

Sed jam tempus est, ut Lucignanum inter nos hic degentem adspiciamus, ejusque studium, doctrinæque copiam admiremur. Et admirabile profecto illud, Auditores, sapientibus hujusce Seminarii moderatoribus tunc visum est, ut tantus Vir ad rem literarum nostrarum exornandam Puteolis huc arcesseretur. Cum enim illius nominis gloria et gestarum rerum, et elegantium scriptorum fama ubique celebrabatur, cumque Ipse difficillimo, acerrimoque perfunctus periculo, cunctis non tam judicum, quam ingenii sui admiratorum suffragiis victor renuntiabatur, tunc nos ipsum e

nobilissimo redeuntem certamine, ac veluti triumphantem excepimus: tunc inter effusas omnium ordinum gratulationes, nostras etiam sive observantiæ, sive obsequii, sive admirationis significationes edidimus: tunc Ciampittium nostrum, cujus recenti jactura perculsi jacebamus, et in Regio Archigymnasio, et in hisce majorum sedibus quodammodo reviviscentem suspeximus; quum una fuerit, eademque, diversis licet locis, ac temporibus, amborum institutio, unum, idemque ipsius institutionis provehendæ studium, ac voluntas. Quis enimvero nostrum est, quin summa cum voluptate illorum temporum memoriam repetat, quum novus hic Præceptor et suo ipse ardore, et loci nobilitate excitatus nostros animos inexplebili quodam doctrinæ amore incendebat, et domesticis propositis exemplis ad majorum nostrorum sequenda vestigia, eorumque gloriam æmulandam cohortabatur? Fuitne tempus ullum, in quo vel discipuli diligentiores magistros, vel magistri discipulos

studiosiores habuerunt? Quæ Illius erat vel in obscuris enodandis rebus perspicuitas, ac sollicitudo? quæ oris gravitas, ac majestas? quæ in exigendis scholasticis pensis cura, et severitas? Tunc nos Ille per amœniores literarum campos deducere, nostras aures elegantioribus Augusteæ ætatis scriptoribus assuefacere, ex ipsis alium cum alio componere, variasque inde dicendi, ac sentiendi formas commendare, pulchri sensum, qui erat ipsi acerrimus, in nos qua voce, qua scripto injicere, ac fovere, publica studiorum specimina pene intermortua revocare; ut jam omnia feliciorem quemdam nostrarum rerum cursum pollicerentur. Atque multa hac in re, Auditores, nobis forent commemoranda, nisi ipsa in omnium oculis sita essent, et longe notiora, quam ut ea longius oratione persequamur: id unum ad totius rei summam addendum ducimus, Illum hic inter nos per duo, et viginti fere annos nihil de flagranti in docendo contentione, ac studio unquam remisisse, ut inde-

fessam ad extremum usque spiritum hominis assiduitatem admirarentur ceteri, nos in maximo lucro poneremus; quum, si qui ex nobis sunt, qui latine aliquid, et graece sciunt, Illius potissimum curis, ac laboribus referendum ingenue fateamur. O virum juventutis amantissimum, nostræque veræ utilitatis studiosissimum! quod tempus unquam jucundissimam Tui memoriam nostris animis obliterabit? Nos, nos ipsi tuorum in nostram institutionem meritorum præcones erimus, ac laudatores; sic enim Tu et tuo ipse officio, et summi illius Rosinii votis satis fecisti, ut quicquid Seminarium hoc nostrum in eo Viro Puteolanæ Ecclesiæ jampridem dederat, huic nunc ipsi per Te fuerit restitutum!

Sed longe majoribus, Auditores, præconiis, ac laudibus extollenda sunt clarissima ingenii opera, quibus nostras Ille literas, atque adeo universam literatorum rem mirifice exornavit. Extant profecto, extant immortalia hominis monumenta, quæ disertissimo quoque

eloquentiora tanti Viri nomen satis commendabunt posteritati. Quid enimvero laudabilius, quid præstantius quinque illis Papyraceis voluminibus interpretatione , justisque supplementis a nostro Nicolao illustratis potest unquam excogitari? quanta proh! Deus immortalis! præstantissimarum rerum seges, ac copia? quam varia, ac multiplex eruditionis supellex? quam ingens veterum Græciæ, Latiique scriptorum cognitio, ac studium? quam multa et de rerum natura, et de morali Philosophia, et de communibus officiis, et de grato, ingratoque animo, et de universa Poëticæ artis facultate, graviter omnia, sapienterque pertractata? Quid doctius, atque uberius illo Puteolani marmoris Commentario, qui penitiorum, et maxime patriarum antiquitatum explanatione, rerumque opportunitate, ac styli elegantia quodvis aliud hujusce generis opus longe antecellit? Atque ut ad amoeniora studia veniamus, quod genus unquam scribendi fuit, in quo Noster aliis

longe non præstitit? Quid memorem Elegos illos, sive suavem Tibulli dignitatem, sive neglectam Catulli pulchritudinem maxime redolentes? Quid referam Virgilii concentum, ac magnificentiam satis apte in suis expressam carminibus? Quid porro dulcius, atque elegantius epistolis? Quid gravius, quid sublimius, quid numerosius Orationibus? In quibus quid magis admiremur, utrum ingenii, mentisque fœcunditatem, an maximam linguæ ubertatem? utrum singularem rerum, sententiarumque splendorem, an germanam illam dicendi rationem, verborumque proprietatem? Hinc scilicet admirabilis vis illa, ac robur eloquentiæ extitit, quæ Nicolao persæpe in Regio Archigymnasio pro concione dicente auditorum adeo pervadebat animos, et insolitis quandoque motibus excutiebat, ut, qui post Eum diceret, haud facile inveniretur. Sed quid tantopere vivam ipsius vocem miramur, si in mutis ipsis lapidibus, et saxis hominis eloquentia adhuc spirare videtur?

Inscriptiones profecto, quas Romanam majestatem æmulantes tot publicis, ac privatis monumentis ornandis exaravit Noster, solæ illæ satis essent ad Auctoris nomen immortalitate donandum.

Quæ quidem omnia ne forte speciosius a nobis, quam verius dicta esse credantur, præter publicam literatorum opinionem, qua semper floruit Lucignanus, Tuam heic, Angele Mai Cardinalis, testamur auctoritatem : Tu siquidem Philologorum nostri ævi facile princeps et Nicolai eruditionem magni semper fecisti, et illum Augusti sæculo dignissimum Scriptorem privatim, ac publice renuntiasti. Tuum etiam, Xyste Præsul Amplissime, in exitu Orationis nostræ gravissimum judicium imploramus: quid enim aliud Tanti Viri memoriam hoc publico laudationis officio, (quod nemini antea ex hoc loco concessum est) nos prosequi voluisti, nisi ut solemne quoddam Tuæ in illum benevolentiæ, et existimationis testimonium nunquam intermoriturum præ

Te ferres? Quo quidem sapienter facto illud quoque maximi momenti perfecisti, ut, quæ tandem Tua mens esset, qui Tuus animus in litteraria juvenum institutione tuenda, omnes homines aperte condocefaceres. Quum enim Virum illum, qui et veteris institutionis nobilissimus fructus, et ejusdem, quoad vixit, rigidissimus cultor extitit, nobis publice laudandum demandaveris, nonne ipsius Viri laudes ad eamdem rationem amplectendam ex Tua sententia maximo nobis erunt documento? Atque hujusmodi voluntatis Tuæ declaratione, Eminentissime Princeps, si unquam alias, nunc certe nostra ætate nihil poterat opportunius desiderari, quum non desint, qui exterarum rerum amore majorum sapientiam hac in re negligere minime vereantur: quorum tamen vanis rumoribus nos et clarissimum Nicolai Lucignani exemplum, et sapientissimum consilium Tuum opponemus.

ADNOTATIONES

(1) Innuit orator Lyceum Archiepiscopale a Xysto Riario Sfortia extructum, et litteratorum hominum pictis imaginibus exornatum: ad cujus operis laudem satis erit heic subjicere per quam elegantem επιγραφην ab ipso Clar: Lucignano elucubratam.

Lyceum — Antea . Squalidum . Et . Abnorme — Xystus . Riarius . Sfortia — Sanctæ . Romanæ . Ecclesiæ . Cardinalis — Archiepiscopus . Neapolitanus — Laxatis . Spatiis — Novis . Aedibus . Adjunctis — Bibliotheca . Et . Porticu . Exornatum — Ad . Nitorem . Atque . Elegantiam — Dignam . Sapientiæ . Domicilio — Perduxit — Et . Disciplinis . Tradendis — Litterariis . Periculis . Obeundis — Ceterisque . Muniis . pro . Gymnasiorum . Usu — Rite . Atque . Ordine . Explendis — Commodius . Reddidit — Anno . R. S. MDCCCLI.

(2) Joannes Andres , quem nemo unquam pro merito satis laudaverit , Auctor operis vere admirabilis, cui titulus : *Dell' origine* , *progresso*, *e stato attuale di ogni letteratura* , ingeniosos juvenes qua laudibus, qua muneribus ad veræ sapientiæ amorem solebat incendere. Cujus quidem doctissimi Viri consuetudinis documento sit Epistola hæc, quam utpote longinsculam ex parte tantum subjiciendam ducimus, a nostro juvene Nicolao jam olim scripta:

Viro . Amplissimo . Ac . Doctissimo — Joanni . Andresio — Historiæ . Et . Humaniorum . Litterarum . Academiæ — Perpetuo . A . Secretis — Nicolaus . Lucignanus . Patrono . Benemerentissimo — S. P. D.

Nihil mihi jucundius, nihil gloriosius accidere unquam potuit, Vir ornatissime , quam ut eruditi

homines, summaque eloquentia præditi de oratiuncula mea, quam meras nugas esse putabam, non male admodum sentirent. Pulchrum enimvero, ac decorum est adolescenti eum ex alvo ingenii fœtum emittere, qui in adspectum, lucemque hominum, ingenuo quamvis rubore suffusus, cum prodierit, a doctis viris benigno vultu excipiatur, et aliquo etiam plausu donetur: id enimvero quamdam ἀποθεώσεως speciem adolescenti habendum esse autumo. Meum autem qualemcumque fœtum, quando obstetricante te, vir ornatissime, enixus fui, et tumet ipse fidei tuæ commendatum hominibus eruditissimis sistere non dubitasti; jure illud mihi sumo, ut te quoque veluti sequestro utar ad testificandos humanissimis hisce viris animi mei sensus (quid enim sine te interpetre mea infantia posset?) illisque grates κατ'ἀξίαν tanta pro humanitate persolvendas. Ingentes igitur æquissimis censoribus gratias meo nomine agas oro, quod merito nullo fultum iis me laudibus exornarint, quales nunquam non modo sperare, sed ne animo quidem concipere potuissem. Tibi vero, vir omni doctrina cumulatissime, immortales habebo, dum vivam. Nam relaturum unquam sperare non ausim. Tam præclaro enim beneficio me obstrictum sentio, ut uno modo videar respondere posse, si tu scilicet ita sensurus es, ut me referre gratias putes, cum memoria tenebo. Sed quoniam, quæ tua est humanitas, non pro tribunali, sed ex æquo agens pronas aures cuique admoves, et summos æque, ac infimos eadem comitate, et studio complecteris; id etiam impetrare confido, Vir ornatissime, ut doctissimum istud caput, quod Minervæ sedem jure appellare possumus, meis ineptiis parumper obtundi sinas etc.

ERUDITO LECTORI[1]

Papyrus, quam Deo adjuvante typis edendam prae manibus habemus tum titulo, tum Auctoris nomine caret, raro quidem exemplo, at nulla scientiae jactura: quamvis enim prope omnes huc usque evolutae, publicaeque lucis usura donatae Papyri prima ipsa fronte Auctoris nomen cum rei pertractatae indicio praescriptum habeant, atque nostra haec utroque expers conspiciatur, cuivis tamen superstites Columnas perlegenti utraque res

[1] *Praefatio haec inscripta legitur XIII. Volumini Herculanensium Papyrorum, quod consule sis.*

nullo negotio datur dignoscenda. Quum enimvero de Rhetoricis rebus pertractet hujusmodi liber eumdem pene ordinem, dicendique modum praeseferens, ac plures alii de eodem argumento Philodemi nomine inscripti, nemini sane dubium potest esse, quin eidem Philosopho et opus hoc tribuatur, titulo Φιλοδημου περι ρητορικης inscribendum. Atque utinam eadem facilitate innumeris aliis Papyri ruinis praesens aliquod remedium afferri potuisset! Ab ipso quidem initio plures desunt Columnae, ceteraeque omnes, quae supersunt, foedis adeo refertae sunt lacunis, ut non Columnas, sed miseras Columnarum reliquias vere dixeris. In quibus sane colligendis, justoque supplemento ditandis doctissimi Interpretis (cujus mors importuna duram Papyri conditionem longe tristiorem reddidit) jamdiu probata patientia maximopere elucet.

Nunc quum Columnae nullo inter se ordine cohaereant, nulloque, uti ajunt, filo intexantur, operae pretium ducimus, ut facilius quo-

dammodo Philodemi mens pateat, singulas heic strictim, ac summatim exponere.

Ac prima se nobis offert III Columna capite, ac pedibus misere detruncata, (quod sane de aliis omnibus aeque dicendum est) in qua Philodemus perstringere videtur cujusdam sophistae jactantiam, qui fortasse ad juvenes decipiendos vulgo venditabat, se posse rhetorices ope probabilibus laudare argumentis, quam velit cumque vitae rationem, rursusque eamdem illam reprobare, ac vituperare: tum veluti adversarium deridens subjungit — *facile posse illum hanc, sive illam vivendi rationem demonstrare salutarem esse, ac persuadere ei tantummodo, qui bene valere desiderat*, namque tritum est-patulis auribus excipi desiderata. Hinc demum colligit Rhetoricam artem medicinae quidem inservire, quum tamen inutilis prorsus sit ad bene valendum. Quod quidem quam bene se habeat, omnes norunt; sanitas enim est medicae, non rhetoricae artis finis ultimus, uti Sextus Empiricus

scripsit — Ιατρικη τους λογους εφ' ἑτερον τι αναφερει τελος, καθαπερ την υγειαν *est ars disserendi, quae pertinent ad medicinam, sed finis non tendit ad persuadendum, sed ad sanitatem : de rhet. 9.*

Tertiam statim excipit VI[a] Columna, in qua adstruere videtur Philodemus principium illud, quod omnes inter Philosophos aeque convenit, haud posse idem eodem tempore verum esse, ac falsum, dicit enim — *secundum ea, quae omnino vera sunt, aequum esse videtur, ut contraria sint, quae secundum rationem falsa sunt* — Quamobrem si necessario falsa esse debent, quae rationi repugnant, et rhetor veris perinde, ac falsis utitur, (utrinque enim semper ei disputandum est) patet non esse artem rhetoricam, quae nullas habet certas comprehensiones, et principia, quibus constanter innitatur, uti clarius elucet ex extremis, quae supersunt, VIII Columnae verbis; si verisimile est supplementum, γελοιοι ῥητορες, επει δογμασι παγιοις χρησθαι, *ridendi sunt rheto-*

res, quia stabilibus dogmatis uti nequeunt, aut quid simile — in qua quidem male adfecta columna contendere videtur Philosophus, rhetoricam non esse artem politicam, neque artem bene civitates regendi in rhetorum scholis addisci, neque opus rhetoricae idem esse, atque opus politicae, uti ex toto opere luculenter evincitur.

Ex paucis IX Columnae verbis, si quid conjecturis detur loci, insimulare videtur Sophistas, qui nihil omnino, nisi utilitatis causa suscipiebant, quamvis et bene morati, et gratiosi, aliisque bonis dotibus aliunde essent praediti. Et quoniam Rhetores ex sententia Epicureorum non nisi conjecturis artem suam fulciebant, in Col. X. Philodemus adsumit Sophistas optimo cuique conjectori laudes tribuere, atque unamquamque artem conjecturalem existimare. Quisnam vero sit ille, qui *firmiter dixit* illam h: e: rhetoricen falsam esse, ac *perditricem,* hariolari nulli possumus: alicui certe ex ejusdem gregis Philosophis adscri-

benda sunt verba illa. Ceterum vel ipse Philodemus Col. 70 hujusce papyri adserit rhetores Athenarum rempublicam perdidisse ῥητορας απολωλεκεναι, και τεθανατωκεναι τας Αθηνας; et in eamdem sententiam constat Aeschinem contra Ctesiphontem dixisse — Ουδεμιαν τοι πωποτε εγωγε μαλλον πολιν εωρακα ὑπο μεν των θεων σωζομενην, ὑπο δε των ῥητορων τινων απολλυμενην — *Equidem nullam unquam urbem vidi, quae et a diis conservaretur, et a quibusdam oratoribus magis perderetur.*

Col. XIV. Ex Col. decima uno quidem saltu transeundum est ad decimam quartam, quae et ipsa caret principio; adeo sane, ut nulli mirandum sit, si ingenue fateamur, incertum prorsus esse, quid in ea sibi velit Philodemus. Num praecipit suscipiendam esse curam officii, et necessarii, non voluptatis? Hoc enim innuere possent prima illa verba — *illud curandum erat, per quod bonum esse contingit, ver quod vero voluptas, non curandum* — Sed id, quod mox sequitur — *Efficax vero*

tractationem incipere statim sic, per quod fit vita; sed sic — cura illius habenda, per quod opus est, vel contingit, nequaquam — hoc, inquam, ad alia omnia nos trahere posset. Namque haec verba praeseferre videntur duo exempla emphatici nempe prooemii, et non emphatici; ita, ut illud exponi possit hoc modo — « Efficax vero est tractationem incipere « statim, sive ex abrupto sic — *per quod fit vita :* sed incipere sic — *cura illius habenda, per quod opus est, vel contigit esse* — efficax omnino non est — Haud absimile quiddam legi potest apud Aristotelem Rhet. lib. III, Cap. XIV sub fin: τουτων δε ενεκα προοίμιου δειται, η κοσμου χαριν, ως αυτοκαβδαλα φαινεται, εαν μη εχη. τοιουτον γαρ το Γοργιου εγκωμιον εις Ηλειους, ουδεν γαρ προεξαγκωνισας, ουδε προανακινησας, ευθεις αρχεται, Ηλις πολις ευδαίμων. *Horum autem causa prooemio indiget, aut ornatus gratia, quod abrupta videantur, nisi illud habeant. Ejusmodi enim est Gorgiae encomium in Eleos : nullo enim connixu, nulloque motu ante adhibito confe-*

stim incipit, Elis civitas beata. — Verum de omni hac disputatione doctorum hominum judicium sit.

Columna XV aliquid de judicibus, ac tribunalibus se dicturum profitetur, suaeque orationi illud videtur praemitti, quod nemo de inutilibus verba faciat, curamve suscipiat; sed omnes, quicumque ad verba facienda inducunt animum, in universum id unice curant, ut persuadeant aliquid. Sed contra omnino factitabant Sophistae, qui ex Platone et nugas venditabant, et futilibus orationibus multitudinem detinebant.— Euthyd. Tom. 1.

Columna XVII. Sophistarum opiniones exponit, qui jactitabant se juvenes arte sua prudentes efficere, atque utiles rei publicae, et amicis; necnon artem ipsam defendebant, quod non ipsa sit prava, sed eorum culpa, qui male illa utuntur. Extrema autem pagella incipere videtur hujusmodi opinionis refutatio: neque mirum; compertum enim omnibus est Epicureos nimia in Sophistas acerbitate

abreptos aliquando veritatem ipsam oppugnasse. Ceterum de utilitate, quam res publicae, ac privatae ex eloquentia hauserunt, nihil est, quod dubitari possit — Quod vero admittenda sit illa rhetoricae artis defensio, locupletissimus vades extat prae ceteris Aristoteles, qui Lib. 1. Rh. cap. 1.° haec habet — ει δε, οτι μεγαλα βλαψειεν αν ὁ χρωμενος αδικως τῃ τοιαυτῃ δυναμει των λογων, τουτοτε κοινον εστι κατα παντων των αγαθων, πλην αρετης, και μαλιστα κατα των χρησιμωτατων, οιτα ισχυος, υγιειας, πλουτου, στρατηγιας. τοιουτοις γαρ αν τίς ωφελησειε τα μεγιστα, χρωμενος δικαιως, και βλαψειεν, αδικως. — *Si vero objiciatur, quod valde nocebit is, qui utatur injuste hac dicendi facultate, id commune est adversus omnia bona, praeter virtutem, et maxime adversus utilissima, ut robur, valetudinem, divitias, disciplinam militarem. His enim aliquis profuerit maxime, si utatur juste, et nocuerit, si injuste.*

Col. XVIII. Philosophus proposito exemplo Mardonii, qui apud Marathonem variis inter-

rogationibus non recte, uti par erat, sed inconstanter, et inepte responderat, concludere videtur improbandos esse consiliarios, qui non ex plena, uti ajunt, causae cognitione, sed ex incertis, falsisque rumoribus consultum aliis volunt, atque ita ineptissima quaeque effutientes rempublicam consiliis suis pessumdant. Quod quidem clarius erui posset ex extremis lineis — *id concedis, quod timeo, si sunt, tales esse consiliarios....* nisi importunus admodum Columnae hiatus reliqua absorbuisset. Ceterum ad illustrandam hoc in loco Philodemi mentem non minimum valet illud Aristotelis, qui de genere deliberativo disserens docet — *τον μελλοντα συμβουλευσαι περι φυλακης της κωρας, μη λανθανειν, πως φυλαττεται, αλλα και το πληθος ειδεναι της φυλακης, και το ειδος, και τους τοπους των φυλακτηριων, τουτο δ' αδυνατον, μη εμπειρον οντα της χωρας* — *Qui de regionis custodia deliberaturus fuerit, oportet eum non latere, quomodo custodiatur, sed et multitudinem scire custodiae, et formam, et loca praesidiorum; hoc autem esse*

non potest, nisi quis peritus sit regionis. Et peritus quidem non erat regionis ille, quicumque ipse fuerit, qui primum interrogatus respondit, *Persas*, uti videtur, *expugnaturos esse angustias, aditus, universaque in finibus munimenta, ac praesidia* — rursus interrogationi — *venistine Marathonam*, respondit — *non quidem, sed diligentem coepi de hac re notitiam* — Quidnam igitur consilii ab isto homine locorum imperito erat expectandum?

Col. XIX quantum ex miseris ejusdem reliquiis στοχαστικως erui potest, Philodemus quum fortasse superius adseruisset probos, integrosque oratores esse utiles reipublicae, atque amicis, recte igitur adversus Sophistas concludit laudandos non esse improbos quosdam, donisque corruptos — Largitiones enim mentem, ac consilium corrumpunt, notumque satis est illud Demosthenis hac ipsa de re — Οταν δε επι θατερα ωσπερ εις τρυταννην αργυριον προσενεγκης, οιχεται φερον, και καθειλκυσε τον λογισμον εφ' αυτο, και ουκ ετ' αν ορθῶς, ουδ' υγιῶς ὁ τουτο ποιησας περι ουδενος

αν λογισαιτο. *Quod si vero in utramvis partem, veluti in trutinam, argentum imposueris, id cogitationem praecipitem trahit, et ad sese deorsum abripit; quod quisquis admittit, fieri non potest, ut deinceps ulla de re vere cogitet.* Orat. de Pace.

Col. XX uti e paucis lineis conjicere licet, Philodemum perstringentem exhibet Sophistas illos, qui vim omnem Rhetorices in solis verbis constituendam esse arbitrantur, atque unico verborum apparatu freti se τα ηττῶ κριττῶ efficere posse jactabant. Videsis Gellium Noct. Attic. vers. 3. 7.

Columna vero XXI illos fortasse rhetoras innuit Philosophus, qui ad publica certamina ante paratis orationibus veniebant; sive potius attingere videtur oratorias exercitationes in Sophistarum scholis haberi solitas, quae communibus argumentis ornatae nihil ad rem habebant, quod vere posset persuadere.

XXI Columnam multo hiatu interposito sequitur Col. XXVII, in qua disserit Noster de

ratione dicendi, quam forte in juvenum exercitationibus usurpabant Sophistae, quamque cum Periclis, Callistrati, Demosthenis, aliorumque similium oratorum eloquentia minime confundit; in orationibus enim Sophistarum ad vanam quamdam pompam compositis non vera, ac nativa inerat perspicuitas, sed aliquid potius, quod περιτρανον παιδειγων *puerilium orationum*, sive puerilis *perspicuitas* appellabatur.

Columna XXVIII de Politica, sive de administrandae reipublicae ratione sermonem procul dubio injicit; inquit enim — *accidit, ut aliquando pravus quis, aliquando etiam ineptus, et futilis administret* — quod et Athenarum exemplo confirmat. Quod vero subnectit, rhetores nunquam exercitibus praefici, neque summos eisdem magistratus committi, de Sophistis tantummodo vere posset adfirmari; novimus enim et Periclem, et Phocionem summos duces fuisse, ac magistratus gessisse, quum alioquin eloquentiae laude floruerint. Quid porro sibi velit Philosophus in ea, quae

sequitur, Col. XXIX divinari non posse videtur; adeo omnia inconnexa sunt, atque ἀνακόλουθα. Trigesima potius Columna prono, uti ajunt, alveo fluit Philosophi sententia, ita ut luculenter doceat — *cavendum esse, ne unquam superba arrogantia, vel castigatione junioribus auferatur rhetoricae amor, atque desiderium, sed potius elogiis, ac praedicamentis augeatur.* Quamvis tamen (ad rem prorsus subnectit) Sophistae adfirment *miraculum quoddam esse hanc facultatem adeo percipiendae scientiae idoneam*, et *quasi fabulose confictam* — Quibus sane Sophistarum adsertionibus, sive miris pollicitationibus opponit Noster Epicureus Col. XXXI — *magis par esse opus perficere, non inanibus verbis spondere*, quum tritum illud sit — multa fidem promissa levant — deinde *posse sibi esse consentiens* — quod certe contingere non potest, quum quis nimis alta, ac mirabilia pro libidine promittat. Quod vero sequitur — *At non modo ista non promittunt rhetores* etc. κατὰ πρόληψιν accipiendum nobis esse videtur.

Col. XXXII. Praemissa alicujus fortasse Philosophi opinione, qui turpia quaedam, impia, atque injusta suâpte naturâ etiam ανοητα esse censebat, Philodemus adfirmat constare non posse argumenta, quae veritatis non innituntur fundamento, ac illud denique colligit — eos tantum in concionem posse progredi, qui ad Philosophos adcesserunt — Sola namque Philosophia, utpote quae veras, ac stabiles rerum praesefert notiones, facultatem publica negotia pertractandi suis potest cultoribus suppeditare. Quapropter non injuria videtur Pericles oratorum omnium perfectissimus extitisse eo praesertim, quod rerum contemplationi, sive Philosophicis studiis sub Anaxagora diligentissime vacavit, *Plat.* in Phaed. pagina 266. A quo sane minime abhorret quod de se scribit Tullius in de Oratore. *Ego autem et me saepe nova videri dicere intelligo, quum pervetera dicam, sed inaudita plerisque, et fateor me Oratorem, si modo sum, aut quicumque sum, non ex rhetorum officinis, sed*

ex Academiae spatiis extitisse. Lib. 2. Cap. 12.

Col. XXXIII. Nisi capite Columna haec misere esset detruncata, probabilius Philodemi sententia deprehenderetur: nunc tamen quum sermo sit de peccatis, quae inducit χαρις *gratia,* et quum superius sit — *plaudere, etsi asperum quid aliud in isto sit* — innuere videri posset Philosophus plausus, sive adprobationes, quas injuste amici homines, seu adulatores congerere solebant in Sophistarum orationes vel asperas, et inconcinnas; eodem plane sensu, atque Flaccus in de Arte Poet: — Pisonum Patrem monebat, ut ab hujusmodi laudatoribus caveret.

« Tu seu donaris, seu quid donare velis cui,
« Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
« Laetitiae, clamabit enim, pulchre, bene, recte... *etc.*

Gratia enim, seu adulatio, est pessimus meritorum judex.

Columna XXXVI. Philodemus Sophistae

alicujus verba refert reponentis—*isthaec* (praecepta fortasse orationis) *recepta fuisse a Philosophis neotericis, quia plerumque,* ut addit, *evolverunt quae ad illos* (rhetores nempe) *pertinebant.* Tum ut in Col. sequenti innuit, idem Sophista adsumit *scientiam illam artificialem* (rhetoricam nimirum) *Philosophiae suppetias venire.* Quem sane Philosophus noster oppugnans ait — *At quum non queat aliis supereminere*, vel ut probabilius — aliis utilitatem adferre, *ementitur vel universos sermones, vel haec mea fuisse praetereunda* —

Tum Col. XXXVII de Sophistarum in dicendo audacia, et impudentia loquutus, utpote qui arbitrabantur —θρασεως δε λεγειν, και την τολμαν, ὥσπερ ὁπλον προβεβλησθαι, ἱνα φοβερον η τοις αντιδικοις, *confidenter dicendum esse, et armorum instar objiciendam audaciam, ut adversariis sit metuendus,* Sext. Emp. c. 15—adversus ipsos colligit Philosophus—artem rhetoricam nullum invenisse praeceptum injuriarum sterile — Et Col. XL idem pertractans argumentum, men-

tionemque injiciens de Demosthene, quem *intolerabilia* dixisse probabiliter adversus Aeschinem ait, sententiam suam hoc pacto concludit — *quum non magnopere ad rhetorice dicendum conferat impudentia, et petulans scurrilitas* — *Humiliora enim illa vitia sunt*, uti docet Fabius lib. XI, Cap. I. *submissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus, ac verbis parum modestis, ac pudicis vilis pudor.* Quod quidem quam recte, ac sapienter dictum sit, vel ex uno ipsius Demosthenis exemplo Philocratis insolentiam reprehendentis probari potest — επαναστας δ' ὁ φιλοκρατης μαλα ὑβριστικῶς, ουδεν, εφη, θαυμαστον, ω Ανδρες Αθηναιοι, μη ταυτα εμοι, και Δημοσθενει δοκειν, ουτος γαρ ὑδωρ, εγω δε οινον πινω — Orat. *de falsa legatione.*

Col. XLI. Carpere haud obscure videtur Sophistarum avaritiam, qui unice pecuniarum amore illecti rhetoricae arti vacabant, et exemplis nautae, institoris, praedonum ipsi se illudere conabantur, quemadmodum Gorgias apud Platonem ajebat — Ουκουν και οι πλεοντες τε, και

οι αλλον χρηματισμον χρηματιζομενοι, ου τουτο εστιν ὁ βουλονται, ὁ ποιουσιν εκαστοτε (τις γαρ βουλεται πλεῖντε, και κινδινευειν, και πραγματα εχειν) αλλ' εκεινο, οιμαι, οὗ ενεκα πλεουσι, πλουτεῖν; πλουτου γαρ ενεκα πλεουσι — *Nonne et qui navigant, aut aliud negotium lucri causa obeunt, non id volunt, quod faciunt? quis enim navigans subire pericula, molestias habere velit? sed illud volunt, ut arbitror, cujus gratia navigant, divitias scilicet, harum namque gratia navigant* — pag. 201. Porro ad sententiam suam confirmandam Philosophus heic meminit Aristippi, cujus tanta fuit avaritia, ut loco proverbii fere cesserit, quum ne pro se ipse quidem gratis posset dicere, ut εμφατικως heic ait Philodemus — Revera sic de eodem scribit Diogenes Laërtius — 65 — ουτος σοφιστευσας, πρωτος των Σωκρατικων μισθους εισεπραξατο — *Primus Socraticorum mercedem exegit, et quaestu philosophatus est.*

Col. XLII. Quum ex Sophistis nonnulli extiterint, qui se institutione sua id effecturos pollicebantur, ut ipsorum discipuli ad causas

*

dicendas, orationes publice habendas, administrandamque Rempublicam dialectices ope idonei redderentur, uti ex Plat. Euthydemo datur intelligere, adversus istos Col. XLII argumentari videtur Philodemus ex contrariis, uti ajunt, effectibus — ait enim — *Alii paulo cautius ista in se recipiunt, et quamvis talia spoponderint, non solum in negotiis succumbunt, sed plerumque etiam sunt ab idiotis loquacitate oppressi.* — Tum eodem insistens argumento addit —*Neque omnino sunt faciendae fidei idonea, quaecumque alia vel in universum negotiorum peritia* — vincuntur, seu quid simile, *atque ipsi promittunt;* quibus sane promissis populum, seu vulgus decipere nituntur; confingunt enim, seu potius coacervant ea omnia, quae illis arrident, non quae vera, ac recta sunt, loquuntur, uti innuit Col. XLIII ex singularis alicujus Sophistae persona.

Tum Col. XLIV pergit adversarios refutare, utpote qui rerum gerendarum scientiam

profitentes parum, aut nihil omnino circa convenientia dicendi praecepta immorandum sibi esse arbitrabantur; hinc veluti per jocum illos irridens inquit *philosophos magnarum rerum ostentatores, qui imperare possent, quae sunt opus, haec ipsa relinquere negotiatoribus, saltatoribus, publicanis, et pulchritudinis mercatoribus,* seu lenonibus. — Tanquam si istiusmodi homines ad suas sive merces vendendas, sive res exigendas arte aliqua, ac dispositione quadam indigerent; Sophistae vero omni arte destituti ad maxima negotia rite pertractanda possent accedere. Quamobrem concludere probabiliter videtur — quicumque omnino arte instructus cuilibet rei manus admoveat, recte ipsam perficere.

Col. XLV. Incipere videtur Philosophus tractationem de animi adfectibus, quemadmodum hinc etiam adparet nonnulla antiquorum rhetorum fragmenta adferri, ait enim — *In his vero praeibunt, quae vicissim apud eosdem scripta fuerunt, eoque magis, quod aliis qui-*

dem non displicet falsus quodammodo locus de animi perturbationibus, sive adfectibus — Sed haec fere omnino deperdita sunt ob miserrimam papyri rationem.

Col. XLVI. adversariis Sophistis respondet, qui fortasse, ne sibi vitio, seu ignorantiae verteretur vinci ab idiotis in tractandis negotiis, medicorum exemplis afferebant, qui etiam quandoque vincebantur ab idiotis pharmacum aliquod cognoscentibus morbum depellens, quamvis ipsi essent medicae artis ignari. Quorum argumentationi reponit Noster — *At qui inter rhetores excellunt nec saepe, nec omnino ab idiotis in pertractandis negotiis vincuntur.* Quod porro ad exemplum medicorum attinet, non satis constat, quid Noster respondeat, quum abrupta sit columna ab ipso quidem capite. Ceterum quiddam simile apud Platonem in Phaedro legitur — ειποι αν, οιμαι, ὁτι μενεται ανϑρωπος και εκ βιβλιου ποϑεν ακουσας, η περιτυχων φαρμακειοις, ιατρος ὁιεται γεγονεναι, ουδεν επαΐων της τεχνης. — *Certe hujusmodi hominem*

insanire (puto), qui quum ex aliquo medicorum libro audiverit quandoque aliquid, et in medelas nonnullas inciderit, neque quidquam artis intelligat, medicum evasisse se putet — sub fin. pag. 2666.

Columnis XLVII et XLVIII. Propius Sophistas attingit, qui dum iuvenes rhetoricis imbuebant praeceptionibus, eosdem quadam veluti in palaestra ad publica negotia pertractanda se exercere dictitabant; quos adversus Noster statuit — *rhetorem vices tantum gubernaculi gerere, sapientem contra esse politicum. Qui enim respiciunt veritatem cujuscumque rei civitati utilis secundum experientiam ipsius administrationis* — Quibus extremis verbis Philodemus spectare videtur ad illud Platonis in Protag. παρα δ' εμε αφικομενος μαθησεται ου περι αλλου του, η περι οὗ ηκει·το δε μαθημα εστιν ευβουλια περι τε των οικειον, ὁπως αν αριστα την αυτου οικιαν διοικοῖ·και περι των της πολεως, ὁπως τα της πολεως δυνατωτατος αν ειη και πραττειν, και λεγειν. *Quisquis ad me venerit, solum id di-*

scet, cujus gratia venit. Disciplina vero homini est prudens in re familiari, et Republica consultatio, qua quis et domum recte gubernet, et civitatis negotia optime et dicendo transigat, et agendo — pag. 135. Tum injecta mentione Philonis cujusdam, et Demetrii Phalerei in libro de Rhetorica alia constituentis, concludit — *Rhetor quamvis summa valeat peritia, si theorematis caret, non valens politicus dici potest.*

Col. IXL. Quaenam sint illa, quae de Diogene, et de suis similibus, qui fere semper decepti dicuntur, heic referuntur dicta, nullo sane pacto quis divinaverit. Ceterum extra omnem dubitationis aleam Sophistae alicujus argumentum extremis Columnae verbis innuitur, quo ille adstruebat — *non decipere rhetoras, sed vera persuadere, et ut plurimum persuadere* — sed argumentum ipsum fac credas nobiscum in proxima lacuna delitescere.

Quantum porro ex Columnis L. et LI. pessime adfectis conjici potest, disserere videtur

Philosophus de maximis damnis, atque calamitatibus, quibus affici solent Respublicae malis Oratorum consiliis obtemperantes; et praemisso malorum filiorum exemplo, a quibus maximae calamitates felicibus prole parentibus importantur, ad magna infortunia innuenda gradum facit, quibus *civitates*, quum ejusmodi i: e: malis *consiliis praebent aures, afficiuntur* — Eadem hac enim sententia Philodemus ipse Col. 70 — *rhetores perdidisse, et ad interitum perduxisse Athenas*, scribet; et Demosthenes ad Athenienses contra Æschinem clamabat — *ως πονηρία δυναμεως δοξαν ευρομενη παρ' υμῶν επι την πολιν εστιν.*

In quatuor, quae sequuntur, Columnis adversarios perstringit, qui nullum admittebant discrimen magnos inter actorum temporum oratores, et suorum temporum, sive recentes; veteribus Noster tribuit *prudentiam politicam, magnamque puritatem* rerum publicarum bono utilissimam, utpote consiliando idoneam; recentioribus vero adscribit optimas, sed va-

nas pollicitationes, ex quibus deteriora semper civitati obveniunt. Quod quidem confirmat Demadis, et huic similium exemplo, qui quum nihil didicerint, pessimo consilio ad magistratus pervenerunt, *perfectos viros amolientes.*

Columna vero LIV. pluribus extollit laudibus veterum oratorum justitiam, uti de Pericle, aliisque nonnullis principatum obtinentibus, et de Demosthene. In qua sane disputatione imitatus videtur illud Platonis in Gorgia — ubi Socrates ita loquens inducitur — ει ειτινα εχεις των ῥητορων τοιουτον ειπειν, τί ουχι και εμει αυτον εφρασας τίς εστιν; Κ. αλλα μα Δια ουκ εχω εγωγε σοι ειπειν των γε νυν ρητορων ουδενα. Σ. τιδε; των παλαιων εχεις τινα ειπειν δι' ον-τινα αιτιαν εχουσιν Αθηναιοι βελτιους γεγοναι, επιδαν εκεινος ηρξατο δημηγορειν, εν τω προσθεν χρονω χειρους οντες; εγω μεν γαρ ουκ οιδα τις εστιν ουτος. Καλ: τιδε; Θεμιστοκλεα ουκ ακουεις ανδρ' αγαθον γεγονοτα, και Κιμωνα, και Μιλτιαδην, και Περικλεα τουτονί νεωστι τετελευτεκοτα; *Quod si inter Oratores talem quempiam habes, cur*

non et eum ostendisti? Call: Per jovem ex Oratoribus, qui nunc sunt, talem habeo nullum. Socr. Num autem inter veteres aliquem indicare potes, per quem Athenienses facti aliquando sint meliores, postquam ille orare coeperit? Call. *Quid vero Themistoclem non audis virum bonum fuisse, et Cimonem, et Miltiadem, atque Periclem* — etc. *pag. 211.*

Col. LVII. Attingit artem illorum joculatorum, qui gladiis spectatores decipiebant, et hujusmodi exemplo evincere conatur Rhetoricam artem esse usu comparatam ad auditores verbis decipiendos, ut joculatores illi decipiunt gladiis: quin imo argumentum magis urgens inquit, *quum arma nihil exhibeant satis aptum ad dolos instructum, rhetorum institutio theoremata omnia habet huc spectantia.* Tum Col. LVIII prosequitur — *non omnia* h. e. *negotia rhetorum fidei committi, etsi potes sint consequi, quod honestos provehit, et bonos.* Ex quo deducendum videtur, Rhetoricam nequaquam Politicam edocere, quamvis

ipsa possit probos, ac bene moratos cives reddere.

Quid porro sibi velit columnis LIX. et LX. haud plane nobis datur intelligere, quum ne hariolari quidem possimus, quis tandem sit ille, cujus heic Philosophus mentionem injiciat, qui scilicet inducitur a Philodemo locum etiam cujusdam operis in medium afferens, nec non decertans cum Philosopho Chrysippo; quod sane se refutaturum promittit noster Auctor. Dolendum tamen est refutationem ipsam certo aliquo ordine nos prosequi non posse; quum ex misera Papyri conditione non gradatim, nec uną continenti serie procedant argumenta, sed sententiae, atque adeo sententiarum veluti frusta huc illuc dispersa occurrunt.

Col. LXI ni tam lethaliter detruncata esset capite, prae se quidem ferret, quodnam sit illud το ῥηθεν, quod Philosophus dicit ὁμοιον ειναι τῷ λεγειν, ὁτί κωλυει την μεθοδον ειδεναι, *effatum istud idem valere, ac dicere, quod prohibet,*

quominus methodus noscatur. Majori porro sunt animadversione digna, quae sequuntur verba, καϑ' ήν επεργα ποιουσι καινα φαινεσϑαι, και καϑ' ήν αποτεμνουσι βαλλαντια, *secundum quam* (methodum) *efficiunt, ut quae operantur adpareant nova, et secundum quam crumenas praecidunt.* Ex quibus, si quid conjectando assequi licet, improbare videtur Philodemus Rhetoricen aequc, ac malas joculatorum atque τῶν βαλαντιοτομων *saccularioruin artes;* quemadmodum enim saccularii, ex Ulpian. Dig. 47 *vetitas in sacculis artes exercentes, partem subducunt, partem subtrahunt,* ita rhetores implicatiorc quadam methodo utentes veritatem, ex Philosophi mente, nunc minuere, nunc superextollcre consuescebant. Ceterum hunc Philodemi locum mirifice illustrare videtur illud Socratis apud Platonem— Τισιαντε, Γοργιαντε εασομεν ευδειν, οι προ των αληϑων τα εικοτα εἶδον ως τιμητεα μαλλον· τατε αυ σμικρα, μεγαλα, και τα μεγαλα σμικρα φαινεσϑαι ποιουσι δια ραμην λογου, καινα τι αρχαιως, τα τ' εναντια καινῶς, συν-

τομιαντε λογων, και απειρα μηκη περι παντων ανευρον—
Lysiam vero, et Gorgiam dormire sinamus, qui verisimilia veris anteposuerunt, ac vi orationis efficiunt, ut parva magna, et magna vicissim parva, vetera item nova, et novissima vetera videantur: brevitatem quoque concisam, et rursus infinitam quandam verborum prolixitatem invenerunt.

Columnae LXII pars superior quamdam veluti repetitionem exhibet comparationis arma inter, et rhetoricen artem superius in Col. 57 jam institutae ea sane mente, ut probaretur, nihil omnino arma suapte natura ad dolum habere aptum, quum contra rhetorum disciplina universa habeat theoremata eodem intenta, nempe ad insidias auditoribus faciendas spectantia. Cui quidem gravissimae adversarii alicujus criminationi contra rhetoricen in eis, quae sequuntur Col. LXIII et LXIV satis quodammodo fieri a Philodemo promittitur— *Id igitur unum,* inquit, *quod attingam, erat dicendum, contingere rhetorices theorematis,*

et magis quibusdam, sed non omnia, neque universam disciplinam eodem spectare — ut scilicet dolis auditores excipiantur. Ex quo illud inferendum esse videtur, omnia artis rhetoricae praecepta secundum Philosophi sententiam, haud sane directa, atque absoluta ratione ad decipiendos auditores conspirare, sed quidem opportunitatem quamdam, et occasionem homines injuria afficiendi praebere; quamvis alioquin ars ipsa possit aliquando utilitatem afferre. Quod profecto aliorum utilium rerum exemplis confirmat, subdit enim — *quemadmodum facultates, et firmum corporis robur, et magis etiam alia opportuna quis queat adlegare occasionem quidem praebentia adficiendi homines injuria, at in honore habita propter utilitatem, quaeque utilitatem saepe afferunt.* Sed heic juvat expendere ista, quae mox attexuntur verba — *Utilia autem dicimus, quae et a Diogene ducuntur talia* — quibus sane verbis id luculenter innuere videtur Epicureus, se rhetorices utilitatem ali-

quando admittere, sed Diogenis sensu, qui nimirum in dissentionibus utilium cum honestis, utilitatem honestati praeponebat, uti videre est apud Tul. lib. III de officiis, ac propterea si utilis aliquando dicitur rhetorice, potest ipsa esse non honesta, sive κακοτεχνία *ars mala.*

Columna LXV quum adeo mutila, atque tam male adfecta sit, quid in ea de Stoicis non solum, sed etiam de philosophis universis dicendi facultate praeditis disserere voluerit Philodemus, nec oedipus quidem unquam divinaverit. Hinc potius gradum facimus ad Col. LXVI in qua Philodemus injecta mentione plurium malorum, quae hominum malignitate contingunt, quaeque tum rhetoribus, tum philosophis adscribi possunt, ut sunt tot tyrannidum in democratias conversiones, et praesidiorum ex urbibus ejectiones, postremis quidem verbis Rhetores publicae salutis, utiliumque rerum auctores constitui posse denegat, ea fortasse ratione, quod ars rhe-

torica nec hominem politicum, nec civilem scientiam, ut ajebat Plato, parere unquam possit.

Tum Col. LXVII eodem insistens argumento inquit — *quum eo multitudo orta sit tyrannorum, ubi major fuit rhetorum numerus, an summatim in universo orbe, sive Graecia id potest esse verum, nullum unquam regimen populare rhetorum caussa in tyrannorum potestatem recidisse?* Ut enim tota haec sententia recte sibi constet, ἐρωτηματικῶς efferendum esse putavimus.

Col. LXVIII de Æschinis adversus Athenienses audacia loquitur, *quod Demosthenem Graeciam male subvertentem prohibuerint poenae fieri obnoxium non secus, ac navicularios, quorum eversae essent naves*. Quam sane Rhetoris audaciam vertere vitio videtur Philodemus populo ipsi Atheniensium, qui fortasse in rhetorum suorum errores non modo non animadvertebant, sed et aliquando laudibus eos, ac praemiis prosequebantur; uti luculenter in Demosthenis exemplo apparet; de

quo ad rem planius dignoscendam, juvat heic Plutarchi verba in ejusdem vita referre — Τοτε δε της ατυχιας τοις Ελλησι γενομενης οι μεν αντιπολιτευομενοι ῥητορες επεμβαινοντες τῳ Δημοσθενει κατεσκευαζον ευθυνας, και γραφας επ᾽ αυτον. Ὁ δε δημος ου μονον τουτων απελυε, αλλα και τίμῶν διετελει, και προσκαλουμενος αυθις ως ευνουν εις την πολιτειαν. *Hac ictis clade Graecis oratores aliter sentientes de republica administranda Demostheni insultantes* ευθυνας, *judiciaque intentabant: sed populus non modo his eum exemit, sed colere perseveravit, utque bonum civem ad remp. capessendam revocavit.* Hinc etiam plurima oboritur lux ad postremae Columnae intelligentiam, quae misero hiatu deperdita fatiscit— *caeterum illum vel male pugnantem Athenienses decreverunt post murorum restaurationem* laude, sive corona donari, vel quid simile vero videtur suppleri posse.

Col. LXIX. Quidnam heic Demosthenes cum Lycurgo, περι των απαθειων? quis tandem sit ille, quem *ignobilissimum, et malevolum,*

denique male affectum esse adnitentur ostendere, qui cupit, per nos licet, hariolctur. Ex novissimis potius Columnae hujusce verbis, et ex primis sequentis, si modo possint commode conjungi, videri posset Philosophus Athenarum perniciem solis rhetoribus adscribere, qui ab Alexandro, atque antehac a patre ejus Philippo minime concitati rempublicam illam funditus perdiderunt. Sed quum Philodemus pergat dicere — *Quod si nonnullae civitates rhetores prohibuerunt, quin ad dicendum prodirent, nedum ad consulendum, at plures, eaeque maximae constanter eosdem adhibuerunt: deinde rhetores non universi gloriantur in injuriis inferendis quidquid usque audere in civitates, sed nonnullos tantum male operari solitos*, illa verba superius relata longe alio accipienda sunt sensu, nempe *jure negabunt* quicumque tandem ii sint, *ipsos id est: rhetoras concitavisse Alexandrum, patremque ejus antehac... tum rhetoras perdidisse, et ad interitum perduxisse Athenas*. Ex quo illud

colligitur non rhetores absolute, sed malos rhetores damnare Philodemum tamquam omnium malorum civitatibus obvenientium auctores.

Col. LXXI mentionem injicit de libro VII Aristonis, qui fortasse Critolai Peripatetici discipulus, ut tradit Quintilianus II, 15, finem, seu definitionem rhetoricae in hunc modum docebat « *Est scientia videndi, et agendi in quaestionibus civilibus per orationem popularis persuasionis* » At dolendum non parum est, quod ex columnae mutilatione intelligi non possit, quodnam sit illud *majus, quam fortasse par erat, emolumentum*, quod percepisse dicit Philosophus.

Columnis LXXII, LXXIII et LXXIV cujus tandem Auctoris confutationem instituat Philodemus, divinare nulli possumus: num Aristonis librum, quem superius innuit, heic ad trutinam judicio suo revocat Philosophus? per se quisque legat, et judicet. In primis *se praeterire*, dicit, *quod primum, et omnino non statuatur rhetorices constitutionem in argu-*

mentationibus non adparere, sed tantum adustionis hujus politicae. Tum adversarii argumentum exponit adfirmantis — *quod quum hortatoris, non gubernatoris partes substineat rhetor, non possit sibi vindicare partes gubernatoris; finis enim politicae non est luculenter et perspicue orare seu dicere.... deinde totam constitutionem mendacio et falso consistere, ideoque fugiendam esse homini veritatis amatori.* Cui sane Noster respondet, *se sophisticam istam omittendo, et Aristotelis artificia, aliaque hujusmodi, quae ipsi eodem duce conscripserunt, permittendo sophisticorum rhetorum calliditati, demonstrare posse Periclis, Callistrati, et Demosthenis minime, et nullo modo similem fortasse artem, seu eloquentiam fuisse.* Postremo adversarius *redarguit id, quod conjectura est assecutum; quodque ad veritatem accedit probabile dicit: quasi,* reponit Noster, *non possit verum esse, et accidere in rebus illis, de quibus, ut ajunt Rhetores, pudet dicere,* nempe de turpibus, et

injustis; *at de hac re nullam protulit demonstrationem,* uti colligit Philodemus.

Col. LXXV nisi tam male esset adfecta, Philosophi fortasse mentem de rhetorices natura nullo negotio assequeremur: ceterum si quid divinationi est loci, videtur heic Philodemus ab αυλητριδων παραφοραις *tibicinarum* nempe *deliriis* ad rhetorum impudentiam ducere argumentum, adscribendo nimirum *naturae* tamquam caussae *divinum illud, quod apud illas evenit; impudentiam vero, quae a rhetorica gignitur, non quidem a natura, sed ab arte tantummodo repetendo.* Quod sane mirifice illustratur ab illo Sexti Empirici περι ῥητορ: cap. 15 — θρασεως δε λεγειν, και την τολμαν ωσπερ ὁπλον προβεβλησθαι, ἱνα φοβερον ῃ τοις αντιδικοις. *Audacter autem dicendum, armorumque istar objicienda audacia, ut adversariis sit metuendus.*

Col. LXXVI. De Oratoris moribus sermonem jam instituere videtur Philosophus, quos fortasse *probos requirit, et ad suavitatem com-*

positos, quod utrumque, ait, utile est, alias minimam turbae partem compescere potis est Orator. Mira est enim vis morum ad cujuscumque generis affectus vel excitandos, vel compescendos: et omnes omnino oratoriae artis Praeceptores plurimas de hac re, ac praestantissimas doctrinas tradiderunt, et prae ceteris Aristoteles Rhet. lib. II, cap. XII. Tullius de Orat. lib. 2 et Fab. Quintilianus lib. XII cap. 2 qui de morum scientia oratori necessaria pertractans illud praecipue contendit — *cognoscenda esse Oratori ea omnia, quibus mores formentur.* Atque haec nimirum vis est, quam εμφατικως exprimit Philodemus — Δυναμις τίς εστιν και οχλικην τινα διοικουσιν αταξιαν εν εκκλησιαις, και δ' εν τοις μετατυχαιοις — *Inest quidem facultas in eis, qui turbulentam quamdam perturbationem gubernant in concionibus, et tribunalibus, atque etiam in fortuitis.*

Col. LXXVII tam miseris obnoxia est lacunis, ut nihil prorsus sani, atque integri nobis sit inde colligendum; nisi quod *de rhetorum*

vita disserere videatur Philosophus; praesertim quum superius de ipsorum moribus sermonem habuerit.

Col. LXXVIII. Ex iis, quae supersunt, facile quis putet disputari heic a Philosopho aeque, ac ab omnibus aliis factitatum erat — *num respublica Sapienti gerenda esset* — Sed quis tandem sit, qui *aversari* dicitur *rhetoricam, propterea quod prope ad politicam artem accedat,* nullus sane divinaverit: suspicari tamen quis posset Philodemum heic de magistro suo Epicuro illud adfirmare, utpote qui et disciplinas universas odisse, et peculiariter Rhetoricam contempsisse traditur. Porro Epicurus idem ad rempublicam gerendam non esse adcedendum docebat, suisque discipulis ου πολιτευεσθαι praecipiebat, eo quidem sensu, quemadmodum exponit Gassendus, *ut nemo id ageret repugnante natura,* sed ille dumtaxat rempublicam capesseret, *qui actuosus sit, publicisque rebus gerendis idoneus*: adeas lib. X. Laërt. Quae quidem expositio mirum

quantum illustrare videtur ea, quae sequuntur — μη μονον του πραττειν, αλλα και οικειν τινα, και διοικειν, η που τον εχοντα νουν αν γενειτο παν πλειον επιτηδευειν απραγουντων: — *non solum ut faciat, sed etiam ut quaedam administret, et regat; nihilque mirum si accidat, ut sapiens, (qui mente praeditus est) omnia majori curet studio, quam otiosi.*

Col. LXXIX. Idem perseguens argumentum quum fortasse sive Epicuri, sive cujusvis alius Philosophi sententiam exposuerit de Politicae artis ad rempublicam recte administrandam necessitate adversus Sophistarum doctrinas; qui per unius Rhetoricae praecepta alumnos suos Reipublicae capessendae paratissimos efficere jactabant, prosequitur Philodemus — *Belle quidem rem attingit, at non congruenter his, quae de re publica administranda probant rhetores inopportune idem, quod ceteri, adfirmantes. Quum autem philosophiae opus efficiant, ipsumque in honore habeant, ipsis evenit, ut in ludo asinorum,* nempe ut

victi discedant, atque a Philosophis imperata facere cogantur.

Col. LXXX. Carpere videtur Sophistas, qui vanis declamationibus operam dantes alumnos suos χαρις κειμενων αλλα μυρια *praeter proposita sexcenta alia* edocebant, ut loquacissimi evaderent. Hoc probari iis tantum poterat, qui scholasticis declamationibus exercebantur; *at aliter omnino se res habet* ut addit Philosophus, quum dicendum sit apud prudentem judicem, qui profecto non verba, sed res, et facta expendit. Ex iis autem, quae de sequenti Col. LXXXI supersunt, erui posse videtur comparatio quaedam rhetorem ignarum inter, et judicem muneribus corruptum, adeo sane ut *judex* hujusmodi *pudenter id judicet, et prohibeatur suae fidei corruptorem vituperare; et similiter rhetor quum ignarus sit, et non limatus* (nulla scilicet exercitatione perpolitus) nonnisi suae artis ignorantiam accusare, *et inter priores* (corruptum scilicet, et corruptorem) numerari possit.

Duabus, quae sequuntur, Columnis LXXXII et LXXXIII tum de *universali* quaestione sermonem instituit, *quam aliquando opportune recipere, et probare dicit eos, qui practici inter rhetores adpellantur;* tum *de particulari praesertim in genere demonstrativo, quum rhetor et laudare, et vituperare queat.*

Sed profecto, ni fallimur, Col. LXXXIV et LXXXV rhetoras ipsos, ac Sophistas deridet, utpote qui nulla rerum experientia periti, nec politici quidem dici possunt, neque ad laudandum, et vituperandum idonei sunt; quum ipsi, quatenus rhetores sunt, veris publicarum rerum *ideis,* et formis careant, atque de utilibus reipublicae, de justis, et honestis κατα δοξας, non κατ' αληθειαν disserant. Quae quidem sententia mirifice illustratur ab illo Aristotelis adversus ipsos Sophistas scribentis — τα πολιτικα επαγγελλονται μεν διδασκειν οἱ Σοφισται, πραττει δε αυτων ουδεις· αλλ' οἱ πολιτευομενοι, οἱ δοξαιεν δυναμει τινι τουτο πραττειν, και εμπειριᾳ μαλλον, η διανοιᾳ.......... των δε Σοφιστων οἱ επαγ-

γελλομενοι, λιαν φαινονται πορρω ειναι του διδαξαι. ὁλως γαρ ουδε ποιον τί εστιν, ουδε περι ποια ισασιν. *Rerum publicarum administrandarum scientiam docere se pollicentur Sophistae: eorum tamen administrat nemo: sed qui in republica gerenda versantur; qui quidem vi, et facultate quadam freti, experientiaque potius, quam cogitatione hoc agere videri possent.... Iam vero Sophistae, qui hanc facultatem se tradere promittunt, ab eo longissime videntur abesse, ut docere possint: nam neque quid ea sit, nec quibus in rebus versetur, sciunt. Ethic lib. X.*

Columna LXXXVI. Philosophum jam de orationis rhetoricae partibus disserentem praesefert, ac potissimum de narrationis munere, quod sane κυριωτατον *principalissimum in eo positum adfirmat, ut quam perspicue luculentissimus enarrator cujuscumque rei sit rhetor, qui ejusdem rei intelligentiam assequitur:* nemo enim aliis exponere potest, quae non ipse prius plane noverit, ut advertit Fa-

bius : et Aristoteles de narrationis perspicuitate jam docuerat — τουτο δ' εστι το λεγειν όσα δηλωσει το πραγμα, η όσα ποίησει ὑπολαβειν γεγονεναι — *Id autem est dicere quaecumque rem declarent, aut quaecumque efficiant, ut existiment factum esse etc.* Rh. Lib. III. Cap. XVI.

Columna vero LXXXVII jam ad probationes gradum fecisse ostendit, quas quidem ex rhetorum more et in ατεχνους *inartificiales*, et εντεχνους *artificiales* dividit; quarum alteras omnibus communes esse dicit; ex alteris contra neque εικος *probabile,* neque σημειον *signum,* neque τεκμηριον *necessarium argumentum* ad rhetores docet pertinere ; sed το σημειον ad illum proprie spectare subnectit, *qui animum illi adplicuit, exempli gratia quod in morbis accidit, medicorum est; quod in nauticis rebus, est gubernatoris; simili ratione et in aliis.* Quod porro de *probabili* addidit, lacuna absorbuit.

Col. LXXXVIII. cuique vel obiter hujusce columnae reliquias inspicienti illud primo ob-

tutu sese offert, Philosophum heic doctrinam de affectibus tradendam jam suscepisse. Quum enim inter omnes oratoriae artis magistros conveniat, et experientia ipsa constet maximum eloquentiae robur in affectibus situm esse, haud immerito heic Philodemus rhetores illos videtur reprehendere, qui, quod est in arte potissimum δια τινων και γεννᾶται, και καταπραΰνεται τα παθη, *per quae* scilicet *affectus et excitentur, et leniantur,* ex Aristotele optima quaeque hac ipsa de re disserente, petere, atque adeo in suis scriptis transferre minime studuerunt, *quum cetera indidem transduxerint.*

Col. LXXXIX. Quid heic sibi velit Philosophus, haud facile quis hariolетur: videri tamen posset, quod maximam persuadendi difficultatem velit innuere adfirmans eum, *qui putat in universum persuadere, aeque se evitare, ac eos qui aegrotos irrationabilibus decipiunt.* Quae quidem persuadendi difficultas ex ipso auditorum genere oritur, quoniam, ut ipse addit, *neque fideles, neque dilectum*

aut amicum ultra indicamus. Quapropter ad optatum persuasionis finem consequendum necessario captanda est oratori auditorum benevolentia.

Columnae XC. et XCI. Philodemum de *Elocutionis* virtute, ac proprietate disserentem prae se nobis ferre videntur: in altera enim saepe evenire dicit, ut Orator opportunam aliquam dictionem, vel dicendi modum, integra dispositionis proprietate, omittat; et in altera mentionem injiciens tum admirationis, tum jucunditatis, quae quidem ex una Elocutione proficiscuntur, *praestantiam doctorum, et philosophorum in luculentius efferendo prae iis, qui tales non sunt,* aperte agnoscit.

Col. XCII. Philosophus se plurium Sophistarum sententiae assentiri profitetur quod ad homonymias, aliasque verborum figuras pertinet. Quoad porro argumenta *inartificialia,* veluti *testimonium, tormenta, aliaque id genus, quae omnibus communia esse* dicebat adver-

sarius, Philodemus horum cognitionem communem esse adfirmat, sed (ut verisimiliter suppleri potest abrupta sententia) non communem, imo difficilem ipsorum tractandorum artem subjungit, juxta ac scribebat Horatius in art. Poë. v. 128. *Difficile est proprie communia dicere....*

Col. XCIII. Pulcherrima instituta comparatione artes inter medicam, nauticam, atque oratoriam Philosophus veri Rhetoris formam, seu characterem exhibere contendit, secus ac sentiebant Sophistae: quemadmodum enim, ait ipse, *quidquid in morbis eventurum mente concipitur, novit medicus, quod autem tempestates respicit, gubernator, ita etiam rhetor, quum casus aliqui impendeant civitati, arte sua utetur, ut eadem ferme ratione politicus.*

Col. XCIV diversam innuit rationem, quam in conficiendis argumentis ineunt rhetores, et dialectici, ac philosophi. Isti enim brevibus, ac nudis quodammodo argumentis adversarium solent perstringere; quum oratores non

tam argumentorum vi, ac robore, quam dicendi copia auditores evincere conentur — Quorsum vero spectent, quae Col. XCV exhibet verba non valde admodum sibi cohaerentia, id sane nostrae mentis captum excedere ingenue fatemur; interpretatio sit penes ingeniosiorem.

Col. XCVI. Referre heic videtur alicujus Sophistae praecepta, sive consilia de oratoris officiis, justitiam scilicet persuadendi, moderate avertendi ipsas animi perturbationes, iras compescendi, quae utilia esse possunt percurrendo, docteque demonstrationem adstruendo. Sed quae tandem sit Philodemi sententia hac ipsa de re, conjici non potest, quum sermo ingenti abruptus sit lacuna. In alia potius, quae sequitur, Col. XCVII coarguere videtur rhetorum insipientiam, utpote qui in *populari regimine, quod est omnium insipientissimum, multa statuant, et re ipsa communia negotia ad finem minime perducant.*

Col. XCVIII ipsorum rhetorum ignoran-

tiam perstringens ostendere videtur magis noxios esse civitatibus ignaros rhetores, quam sunt noxii navibus gubernatores, *qui neque ubi, neque quando, neque quomodo sit navigandum noverunt:* illud scite admodum subnectens — *de utilibus, et noxiis fieri non posse, ut quis universa animo comprehendat, nisi se ipsum arbitrum*, et *judicem universorum circumstantium constituat.*

Col. IC. Nonnullis, quae adversarius forte objecerat, respondere videtur; sed quae tandem sint, *quae excitat rhetor*, et propter quae εγαλλος εστι λογος *perversus est, et praeposterus sermo*, ne conjiciendo quidem datur intelligendi facultas; quemadmodum nec exponi potest illa, quae mox sequitur, ουκ ενδοξος ἡ παραλλαγη *non credibilis mutatio.* Unum illud, quod subnectit, veluti αποφθεγμα animadversione dignum censemus — *Quoniam igitur universi futiliores artifices errant, opus est prudentiorum vestigia sequi.*

Ex Columnae *C.* miseris, corruptisque fru-

stis nihil omnino aliud colligi potest, nisi quod ex Philodemi sententia *penes idoneos judices* ουκ εστιν ευχρηστος ἡ δυναμις ῥητορος *utilis non est rhetoris facultas*.

Col. CI. innuit beneficiorum, et admirationis significationes, quibus Reges, ac viri Principes magis, quam populi, ac nationes, conversantes rhetores prosequuti sunt; idque Philippi Macedonis in Pythona, et Ptolemaei in Demetrium Phalereum exemplis confirmat; addit etiam Αριστοκρατιας, et συνεδρία πολλα *magnatum regimina, multasque conciones* quosdam rhetores excepisse. Quis porro dictus fuerit δημαγωγος *poplicola*, ut habet detruncatum sequentis Col. CII caput, divinari quidem non potest. Adfirmandum tamen dicit *maximam inesse vim orationi non rhetoris, sed philosophi, propterea quod* το δυναμικωτατον του τοιουτων προς τι γεγονε ειναι, *maxima horum sermonis vis accidit, ut ad quid potissimum pertineat;* sive illorum argumenta *sunt ad hominem, ut scholae loquuntur.*

Col. CIII adversus Sophistas ostendere contendit Philodemus *falsam esse rhetorum politicam, atque aeque, ac rhetorica, parvi momenti habere negotia, eademque judicanda suscipere.*

Col. CIV. Philosophus ad nullam rhetoricae utilitatem in rebus publicis administrandis ostendendam gubernaculi exemplo utitur: quemadmodum enim navis gubernaculum, nisi regatur, inutile prorsus erit, sic rhetorica nunquam per se, quatenus est ars, politicum civitati utilem praestabit. Tum Col. CV. Periclis mentionem injicit, quem sane peritum, ac potentem dicit, quam qui maxime; sed omnem illius potentiam, ac peritiam ex Philosophia repetere videtur.

Col. CVI de dominis, ac principibus videtur loqui, qui suis e sedibus, ac regnis dejecti sunt, quos nimirum dicit Philosophus tamquam *adversa unda navigantes deficere, quum communis eos opinio ex hujusmodi cura dejecerit; quemadmodum gubernantes si mul-*

ceant, ac veluti gratificentur iis, qui simul navigant, ipsis minime dominantur, sed quodammodo serviunt. Quid porro hac veluti digressione de regibus, ac gubernantibus sibi velit Philodemus, ex uno sermonis (qui tamen adeo frequentibus abruptus lacunis est) contextu posset nobis innotescere. Verum si quid opis tam miserae Papyri fortunae, licet afferre, rebus jam dictis ea adtexendo, quae in sequenti Col. CVII leguntur, aliqua conjectura Philosophi mens deprehendi potest. Pergens enim *de despotis, et gubernatoribus urbium* disserere, quos, dicit, *aliquando novimus excidisse,* sermonem habere videtur de res publicas gubernandi arte, cujus quidem ignorantiae illorum dejectio est adscribenda.

Duabus vero, quae sequuntur, Col. CVIII et CIX discrimen videtur admittere Philosophorum inter, et rhetorum politicam, utrorumque politicas leges distinguens; alteros, id est rhetoras idoneos dicit ad politicam edocendam, *sed non quod ipsi sint politici pru-*

dentissimi; alteros autem seu Philosophos *praestare* adfirmat *in populi seditionibus;* certum est enim ex Synesii auctoritate — Φιλοσοφιαν ἱκανην ειναι τας πολεις ορθοῦν *ad erigendas ex calamitatibus civitates plurimum valere Philosophiam. Epist. 103.*

Col. CX et CXI. Auctoris alicujus, quem nunquam suo heic appellatum nomine deprehendimus, doctrinam referre videtur, statuentis εις τους δε φιλοσοφους *adversus hos philosophos* (fortasse Sophistas) ουδεν δυνασθ' απαντας αφελειν, *universos nihil posse juvare,* quum adderent etiam αποδεικτον ειναι πολιτικον, quod *demonstrabilis* sit *scientia politica.* Quis porro sit ille, quem Noster εριζομενον, και δυναγαγον φιλοσοφον πομπτικα τα τοιαυτα προφερομενον *disputantem, et contumacem philosophum magnifica id genus ad ostentationem proferentem* dicit, intelligi nequaquam potest, quum ne ad divinationem quidem pateat effugium.

Denique Col. CXII plerasque *oppositarum objurgationum omittit, quum liceat,* addens,

devenire ad eorum errores in his, vel aliis controversiae locis. Atque his verbis huic toti de rhetorica disputationi finem imponit Philosophus.

Unum nos illud postremo hoc in loco te monitum volumus, Erudite lector, nihil omnino laboris, nec curae omisisse in colligendis iis omnibus, quaecumque ad miserrimam veluti consarciendam Papyrum nobis visa sunt peropportuna: atque hac una de causa septem ipsius fragmenta brevibus illustrata adnotationibus, ne quid per nos tantae rei deesse videretur, simul conjicienda putavimus: ex quibus Frag. X fac credas nobiscum vel praecedere, vel proxime sequi Col. XLI, in qua nimirum gratuita opera attingitur, quam praestare nec sibi quidem ipse poterat Aristippus.

INSCRIPTIONES, ET ELOGIA

Acerris

RURALE . HOC . TEMPLUM
UT . AGROS . INCOLENTIUM . BONO . CONSULERET
NEVE . ILLIS . IN . SUMMA . RERUM . INOPIA
VEL . SACRAMENTA . DEESSENT
IOSEPHUS . ROMANO . ACERRARUM . EPISCOPUS
AERE . SUO . EXTRUENDUM
AC . DIVO . ALPHONSO . DE . LIGORIO
PRAECIPUO . ID . GENUS . HOMINUM . PATRONO
DICANDUM . CURAVIT
ANNO . R. S. MDCCCLVIII

1*

Afragolae

SACELLUM . HOC
DIVO . MICHAELI . SACRUM
RUDE . OLIM . AC . VETUSTATE . PROPE . COLLABENS
PETRUS . ANTONIUS . MOSCA . RECTOR
LAXATIS . SPATIIS . OPERE . ARCUATO
ADAUCTUM . SACRARIO . TECTORIO . CONVESTITUM
PAVIMENTO . ET . ALTARI . E . MARMORE . ORNATUM
CONLATO . AERE
IN . MELIOREM . FORMAM . RESTITUIT
ANNO . R. S. MDCCCLVI

TEMPLUM . HOC
DEIPARAE . VIRGINI . AB . ANGELO . SALUTATAE
CIVITATIS . PATRONAE . PRAESENTISSIMAE
DICATUM
AERE . MUNICIPII . COLLATICIO
IN . PRIMIS . STRENUAM . OPERAM . NEC . MEDIOCREM
CONFERENTE . PECUNIAM
CIVE . FRANCISCO . GALLO . PAROCHO
NUNC . EPISCOPO . ABELLINENSI
OMNI . CULTU . ET . NITORE
IN . ELEGANTIOREM . HANC . FORMAM . RESTITUTUM
IOSEPHUS . FORMISANO . NOLANUS . EPISCOPUS
COMMUNIS . PATRIAE . VOTIS . SATIS . FACIENS
SOLEMNI . RITU . SACRAVIT
IV. IDUS . OCTOBRIS . ANN. R. S. MDCCCLVI

Neapoli

HANC . AEDEM
VIRGINI . DOLORUM . NUNCUPATAM
PROVIDENTIA . FERDINANDI . II . REGIS . P. F. A.
EXORANTE . IN . PRIMIS . XYSTO . RIARIO . SFORTIA
ARCHIEPISCOPO . NEAPOLITANO
OPPORTUNO . HOC . LOCO
AD . PIETATEM . NASCENTIS . PAGI . COMMODIUS . FOVENDAM
INTRA . PAROECIAE . ARENELLIANAE . FINES
A . FUNDAMENTIS . EXSTRUCTAM
TRIBUS . HINC . INDE . ADIECTIS
IN . SACERDOTIS . REM . SACRAM . ADMINISTRANTIS . USUM
CUBICULIS . AUCTAM
OMNI . QUE . CULTU . AC . NITORE . EXPOLITAM
NEAPOLITANA . CIVITAS
SUIS . LAETA . IMPENDIIS
AUSPICALI . LAPIDE . RITE . IACTO
VI. KAL. DECEMBRIS . MDCCCLVI
SOLEMNITER . DEDICAVIT . KAL. IANUARII . MDCCCLVII

RAPHAELI . DATTILO . ET . MARIAE . VICECENTI
CONCORDISSIMIS . CONIUGIBUS
UTRIQUE . ANNOS . NATO . LIX
QUORUM . ALTER . LIBERIS . RECTE . INSTITUENDIS . VACANS
PRIDIE . KALENDAS . NOVEMBRIS . MDCCCXLVIII
ALTERA . EX . GRAVI . OCTO . FERE . ET . TRIGINTA . ANNORUM . MORBO
CHRISTIANA . PATIENTIA . PERLATO
OBIIT . V. IDUS . OCTOBRIS . MDCCCLII
DULCISSIMIS . PARENTIBUS
FRANCISCUS . FILIUS . SACERDOS
CONTRA . VOTUM . P.

Afragolae

FELICIS . ROMANUCCI
MULTOS . IAM . ANNOS
HUIUSCE . ECCLESIAE . PAROCHI
CINERES
EX . COMMUNI . SEPULCHRETO
HUC . TRANSFERENDOS . CURAVIT
CLEMENS . VACCA . IN . PAROECIAE . PROCURATIONE . SUCCESSOR
ID . AEQUUM . RATUS
UT . CUIUS . ILLE . VIVENS . ADEO . DILEXERAT . DECOREM
IN EIUSDEM . SPONSAE . SINU . MORTUUS . QUIESCERET
CLANGORE . TANDEM . TUBAE . EXSUSCITANDUS

PARCE . DOMINE . ET . MISERERE

HEIC . IN . PACE . QUIESCUNT
CONIUGES . QUOAD . LICUIT . CONIUNCTISSIMI
MICHAEL . IODICE . ET . CONSTANTIA . CAIAZZO
QUAE . LABORIOSUM . VIRUM
CONSTANTI . VERE . AMORE . PROSEQUUTA
AB . EO . NEC . MORTE . DIU . ABSTRAHI . VISA . EST
QUUM . ALTER . POSTRIDIE . IDUS . MART. MDCCCXXXIX
ALTERA . III. KAL. IUNII . MDCCCXLI. OBIERIT
PARENTIBUS . DESIDERATISSIMIS
HEU . CONTRA . VOTUM
MOERENTISSIMI . FILII . P.
QUIBUS . POSTERIS . QUE . EORUM
COMMUNI . HOC . GENTIS . SEPULCHRO
INFERRI . IUS . FAS . QUE . ESTO

QUOD . BONUM . FAUSTUM . FORTUNATUM . QUE . SIET
IMMACULATUM . DEIPARAE . CONCEPTUM
PII . NONI . PONTIFICIS . MAXIMI . ORACULO
IAM . RITE . INTER . DOGMATA . RELATUM
HUIUSCE . COENOBII . PATRES
AD . AEMULANDUM . MAIORUM . SUORUM . STUDIUM
IN . HOC . SINGULARI . VIRGINIS . PRIVILEGIO . ADSERENDO
INTER . EFFUSISSIMAS . CHRISTIANI . ORBIS . GRATULATIONES
MAXIMA . QUA . POSSUNT . SOLEMNI . POMPA
CELEBRANDUM . IUSSERUNT

QUOTQUOT . ESTIS . TEMPLUM . INGREDIMINI
SUMMAS . DEO . REDDITURI . GRATIAS
ATQUE . ABS . IMMACULATA . CAELI . TERRARUMQUE . REGINA
PRO . TANTI . SUI . TRIUMPHI . DECLARATIONE
PACEM . AC . TRANQUILLITATEM . DEPRECATURI

1.

MOLAS . HASCE . AQUARIAS
FERDINANDUS . I. SICILIARUM . REX . PROVIDENTISSIMUS
EX . APTA . CLANII . FLUVII . INCLINATIONE
PRAEGRANDIBUS . LIGNEIS . ROTIS . ADHIBITIS
CETERO . QUE . ADPARATU
PROUT . TEMPORUM . FEREBAT . INGENIUM
EXTRUENDAS . CURAVIT
ANNO . R. S. MDCCLXLIII

2.

MOLAS . IPSAS
FERDINANDUS . II. PIUS . FELIX . AUGUSTUS
AVITAM . PROVIDENTIAM
PRAETERGRESSUS . NEDUM . AEMULATUS
LATERITIA . AREA . INSTRUXIT
OPEROSIS . SUBSTRUCTIONIBUS . COMMODIORES . REDDIDIT
IN . PRIMIS . QUE . TURBINEIS . E . FERRO . ROTIS
EO . REM . PERDUXIT
UT . HAC . AQUARUM . VI
MAIOR . EXINDE . FRUCTUS
IN . PUBLICAM . MANARE . UTILITATEM
HAUD . POSSIT

OPUS . SANE . DIGNUM
QUOD . TRADERETUR . POSTERIS
CURATORES . CENSUERUNT
ANNO . MDCCCLVIII

1.

ANDREAE . FERRIGNIO
NEAPOLITANAE . ECCLESIAE . CAN. THEOLOGO
REGIO . SACRAE . SCRIPTURAE . INTERPRETI
ALUMNIS . HUIUSCE . SEMINARII . SACRIS . RITIBUS
EXERCENDIS . PRAEFECTO
PARENTALIA

2.

ANDREAS . FERRIGNIUS . PISONE
AB . INEUNTE . AETATE
MAGNI . SIMIOLII . AVUNCULI . VESTIGIIS . INSISTENS
REM . SACRAM . UNIVERSAM
EA . MENTIS . ANIMI . QUE . AVIDITATE . ARRIPUIT
UT . IUVENIS
DIFFICILLIMIS . PERFUNCTUS . PERICULIS
AD . ALTISSIMOS . GRADUS
ET . IN . REGIO . ARCHIGYMNASIO . ET . IN . CATH. ECCLESIA
INGENTI . OMNIUM . ADMIRATIONE . CONSCENDERIT
TOTA . DEINCEPS . VITA
DOCTISSIMAS . INTER . MEDITATIONES
TRANSACTA
APOPLEXIA . CORREPTUS . OBIIT . XIV. KAL. OCTOB.
ANNOS . NATUS . P. M. LX

3.

QUANTUM
IN . EXCOLENDIS . HUIUSCE . EPHEBEI . ALUMNIS
ASSIDUA . SACRORUM . RITUUM . EXERCITATIONE
VIR . SUMMUS . INSUDAVERIT
MAXIMA . QUA . HEIC . ET . CATHED. IN TEMPLO
AUGUSTISSIMAE . PERAGUNTUR . CAERIMONIAE
RELIGIO . TESTATUR

4.

OMNIGENA . PRAEDITUS . DOCTRINA
EA . SEMPER . EXTITIT . MODESTIA . ATQUE . HUMANITATE
UT . UTRUM . INGENII . GLORIA
AN . VIRTUTIS . LAUDE . MAGIS . FLORUERIT
IN . INCERTO . SIT

5.

CHRISTE . SERVATOR
SI . ANDREAS . DUM . VIXIT
AUGUSTAE . DOMUS . TUAE . DECOREM . ADEO . PROMOVIT
NUNC . TUO . ABLUTUM . SANGUINE
IN . AETERNA . TABERNACULA
TE . ORAMUS . RECIPIAS

IN FUNERE PAROCHI VITAGLIANO

Pro foribus templi

MICHAELI . ANGELO . VITAGLIANO
ECCLESIAE . HUIUSCE . PAROCHO
MORTALITATE . IAM . DEFUNCTO
PARENTATUR
VIRI . MULIERES
TEMPLUM . OMNES . INGREDIMINI
ANIMAE . HOMINIS . PIENTISSIMAE
QUI . PRO . VESTRA . SALUTE . NUNQUAM . QUIEVIT
AETERNAM . REQUIETEM . ADPRECATURI

NEMINI . MAXIMO . SINE . PIACULO
ABESSE . LICEAT

In fronte tumuli

MICHAEL . ANGELUS . VITAGLIANO
PASCHALE . AC . THERESIA . SANNINO . HONESTIS . PARENTIBUS
SECUNDILIANI . NATUS
PUERITIAM . ADOLESCENTIAM . QUE
VIRTUTUM . INTER . AC . LITTERARUM . EXERCITATIONES
DOMI . TRANSEGIT

MOX . CLERICALI . MILITIAE . ADSCRIPTUS
PHILOSOPHICIS . AC . THEOLOGICIS . MAXIME . DISCIPLINIS
BARTHOLOMAEO . MALITIA . DOCTORE
IN . LYCEO . ARCHIEPISCOPALI . STRENUAM . ADEO . NAVAVIT . OPER
UT . AEQUALES . INTER . PRIMAS . EGERIT
TUM . SACERDOTIO . AUCTUS
MORALIBUS . AC . BIBLICIS . STUDIIS . TEMPUS . OMNE
MAGNO . CUM . FOENORE . IMPENDIT
HOC . PIETATIS . AC . DOCTRINAE . CHORAGIO . INSTRUCTU
PROHIBERE . NON . POTUIT
QUIN . RELUCTANS . QUAMVIS
DUOS . QUE . MENSES . PATRIA . PROCUL . LATUERIT
PAROCHUS . RENUNTIARETUR
GRAVISSIMO . IN . QUO . MUNERE . RITE . OBEUNDO
EA . FUIT . ANIMI . FORTITUDINE . AC . PATIENTIA . CORPORI
UT . DIFFICILLIMIS . PRAESERTIM . PUBLICAE . REI . TEMPORIBU
NULLIS . UNQUAM . MINIS . NEC . INIURIIS . CESSERIT
NULLIS . DIURNIS . NOCTURNIS . QUE . CURIS
PEPERCERIT . NEC . LABORIBUS
AD . CONCREDITUM . SIBI . GREGEM
SARTUM . TECTUM . SERVANDUM . NUTRIENDUM . QUE
TUM . APTA . DIVINI . VERBI . TUM . QUOTIDIANA
SACRAMENTORUM . DISPENSATIONE
QUAM . VIVENDI . NON . SIBI . SED . FILIIS . RATIONEM
CONSTANTER . DUOS . ET . QUADRAGINTA . FERE . ANNOS
SENEX . OPTIMUS . RETINUIT
DONEC . FRACTUS . VIRIBUS . AT . ANIMO . INVICTUS
MORTALEM . CUM . IMMORTALI . VITA
COMMUTAVIT . PRIDIE . KAL. IANUARII . MDCCCLIX
INEXPLEBILE . SUI . DESIDERIUM . OMNIBUS . RELINQUENS
ANNOS . NATUS . LXXXV

Dextrorsum

MICHAELIS . ANGELI
QUANTA . SEMPER . EXTITERIT . MANSUETUDO . MORUM
AVITAS . IN . ALLOQUIO . OMNIBUS . IN . REBUS . HUMANITAS
OMNIUM . ORDINUM . TESTANTUR . PRAECONIA
AT . QUANTA . IPSIUS . FUERIT
IN . MISEROS . LIBERALITAS
VESTRAE . SUNT . TESTES . LACRYMAE . AC . SUSPIRIA
PAUPERES
QUIBUS . ILLE . SUBLEVANDIS
ET . PAUPER . VIXIT . ET . PAUPERRIMUS . OBIIT
UT . RARO . ADMODUM . EXEMPLO
NEC . QUIBUS . EFFERRETUR . VESTIBUS . HABERET

Sinistrorsum

MICHAELI . ANGELO
ARIAS . INTER . PASTORALIS . OFFICII . SOLLICITUDINES
NIHIL . POTIUS . FUIT . ANTIQUIUS . QUE
QUAM . BONI . PASTORIS . INSTAR
AEGROTANTIUM . SALUTI . OVIUM . PROSPICERE
QUUM . SACRIS . QUOTIDIE . RITE . ABSOLUTIS
NON . PRIUS . SE . RECIPERET . DOMUM
QUAM . INFIRMOS
NE . QUID . EIS . NOCTU . DEESSET . AUXILII
OSTIATIM . SINGULOS . INVISISSET

In postica tumuli parte

CHRISTE . SERVATOR
MICHAELEM . ANGELUM . PARENTEM . OPTIMUM
SI . TE . IN . FILIIS
FILIOS . QUE . PROPTER . TE . UNICE . ADAMAVIT
SI . DUM . VIXIT . DOMUS . TUAE . DECOREM . DILEXIT
NUNC . SOLUTUM . CORPORE
TUO . QUE . SANGUINE
SI . QUID . ADHUC . HUMANAE . LABIS . EXPIANDUM . RESTAT
OMNINO . ABSTERSUM
IN . AETERNA . TABERNACULA . TE . FILII
PRECAMUR . EXCIPIAS

IN FUNERE IOSEPHI CANONICO

Pro templi foribus

IOSEPHO . CANONICO
ALMI . THEOLOGORUM . COLLEGII
DECANI . VICES . GERENTI
IN . MAGNO . TOTIUS . REGNI . TABULARIO
PALAEOGRAPHIAE . ANTECESSORI
REGIAE . HERCULANENSIS . ACADEMIAE . SOCIO
ATQUE . HEIC . HEBRAICARUM . RERUM . PRAECEPTORI
SEMINARIUM . ARCHIEPISCOPALE . URBANUM
GRATIS . EXEQUIARUM . OFFICIIS
IUSTA . PERSOLVIT

INGREDERE . QUISQUIS . ES
ET . VIRO . ADVERSIS . SEMPER . FLUCTIBUS . IACTATO
AETERNI . PORTUS . TRANQUILLITATEM
EXPOSCITO

In temporarii tumuli fronte

IOSEPHUS . CANONICO
HONESTO . LOCO . NEAPOLI . NATUS
ADOLESCENS . INTRA . DOMESTICOS . PARIETES
AD . VIRTUTEM . ATQUE . HUMANITATEM . INFORMATUS
MILITIAE . QUE . ECCLESIASTICAE . TIROCINIO . POSITO
INTER . AEQUALES
NON . TAM . INGENIO . QUAM . IMPROBO . IN . STUDIIS . LABORE
EXCELLERE . VISUS . EST
VIX . SACERDOTIO . AUCTUS
IN.ARCHIEPISCOPALI.LYCEO.SACRARUM.LITERARUM.INTERPRES
TUM.ET.SANCTAE.LINGUAE.PRAECEPTOR.EST.RENUNTIATUS
QUAM.HUIUS.ETIAM.SEMINARII.ALUMNOS.PLURES.ANN.EDOCUIT
DEINDE.PUBLICO.OBITO.PERICULO.IN.THEOLOG.COLL.COOPTATUS
EAM . SEMPER . NAVAVIT . SEVERIS . DISCIPLINIS . OPERAM
UT.QUAMDAM.ANIMI.VULTUS.QUE.SEVERITATEM.CONTRAXERIT
TANDEM . AD . REGIAM . PALAEOGRAPHIAE . CATHEDRAM
ET . HERCULANENSIS . ACADEMIAE . SOCIETATEM
PER . OBSTANTES . NEQUICQUAM . OBICES . PERVENIT
DIGNUS . SANE . VIR
CUI.LABORUM.AC.STUDIORUM.FRUCTU.DIUTIUS.LICERET.FRUI
SED . ALITER . DEO . VISUM
NAM . SUBDOLI . MORBI . VI . CORREPTUS
CADUCAM . CUM . IMMORTALI . VITA . COMMUTAVIT
PRIDIE . IDUS . IANUARII . MDCCCLVII
AETATIS . ANNOS . NATUS . L. MENSES . VII

HEIC . IN . PACE . QUIESCO
FRANCISCUS . BUONOCORE . ANTONINI . FILIUS
QUI . A . PRIMA . AETATE . MEA
IN.STABIANO.CLERICORUM.EPHEBEO.AD.BONAS.ARTES.EXCULTUS
VIX . TRIBUS . A . SACERDOTIO . ANNIS
DUM.LABORIBUS.LITTERARIIS.SACRIS.QUE.EXERCITATIONIBUS
DIURNIS . NOCTURNIS . QUE . ADVERSA . VALETUDINE
NIMIO . PLUS . VACABAM
DIRO . CORREPTUS . MORBO
AERUMNOSAM.HANC.VITAM.CUM.IMMORTALITATE.COMMUTAVI
SAGAX . NE . MIHI . FUERIT . INGENIUM . CANDIDI . AN . MORES
EX . TOTIUS . CIVITATIS . LUCTU . SATIS . ENITUIT
NUNC . ORO . TE . PATER . DULCISSIME
LACRIMIS . AC . DOLORI . HAUD . PLUS . AEQUO . INDULGEAS
EADEM . SORS . OMNES . MANET
SERIUS . OCYUS . HEIC . SIMUL . DORMIEMUS
CUM . PROPINQUIS . POSTERIS . QUE . NOSTRIS
AETERNAM . SECURITATEM . ET . BEATAM . RESURRECTIONEM
IN . DOMINO . IESU . EXSPECTANTES
VIXI . ANNOS . XXVI. MENSES . V. DIES . XXII
DIC . HOSPES . HAVE . ET . VALE

ALOYSIO . MAISTO
HONESTO . LOCO . NATO . AC . LIBERALITER . INSTITUTO
SUAVITATE . MORUM . VITAE . QUE . INNOCENTIA
SUIS . PER . QUAM . ADCEPTO . AMICIS . CARISSIMO
PULCHERRIMAS . QUAS . SUI . EXCIVERAT . SPES
FACILE . VICTURO
NISI . XXV . VIX . ATTINGENTEM . ANNOS
ACERBA . EUM . MORS . RAPUISSET
FRATRES . AC . SORORES . HAEREDES
P.

Afragolae

FELICIS . ROMANUCCI
MULTOS . IAM . ANNOS
HUIUSCE . ECCLESIAE . PAROCHI
CINERES
EX . COMMUNI . SEPULCHRETO
HUC . TRANSFERENDOS . CURAVIT
CLEMENS . VACCA . IN . PAROECIAE . PROCURATIONE . SUCCESSOR
ID . AEQUUM . RATUS
UT . CUIUS . ILLE . VIVENS . ADEO . DILEXERAT . DECOREM
IN EIUSDEM . SPONSAE . SINU . MORTUUS . QUIESCERET
CLANGORE . TANDEM . TUBAE . EXSUSCITANDUS

PARCE . DOMINE . ET . MISERERE

HEIC . IN . PACE . QUIESCUNT
CONIUGES . QUOAD . LICUIT . CONIUNCTISSIMI
MICHAEL . IODICE . ET . CONSTANTIA . CAIAZZO
QUAE . LABORIOSUM . VIRUM
CONSTANTI . VERE . AMORE . PROSEQUUTA
AB . EO . NEC . MORTE . DIU . ABSTRAHI . VISA . EST
QUUM . ALTER . POSTRIDIE . IDUS . MART. MDCCCXXXIX
ALTERA . III. KAL. IUNII . MDCCCXLI. OBIIERIT
PARENTIBUS . DESIDERATISSIMIS
HEU . CONTRA . VOTUM
MOERENTISSIMI . FILII . P.
QUIBUS . POSTERIS . QUE . EORUM
COMMUNI . HOC . GENTIS . SEPULCHRO
INFERRI . IUS . FAS . QUE . ESTO

QUOD . BONUM . FAUSTUM . FORTUNATUM . QUE . SIET
IMMACULATUM . DEIPARAE . CONCEPTUM
PII . NONI . PONTIFICIS . MAXIMI . ORACULO
IAM . RITE . INTER . DOGMATA . RELATUM
HUIUSCE . COENOBII . PATRES
AD . AEMULANDUM . MAIORUM . SUORUM . STUDIUM
IN . HOC . SINGULARI . VIRGINIS . PRIVILEGIO . ADSERENDO
INTER . EFFUSISSIMAS . CHRISTIANI . ORBIS . GRATULATIONES
MAXIMA . QUA . POSSUNT . SOLEMNI . POMPA
CELEBRANDUM . IUSSERUNT

QUOTQUOT . ESTIS . TEMPLUM . INGREDIMINI
SUMMAS . DEO . REDDITURI . GRATIAS
ATQUE . ABS . IMMACULATA . CAELI . TERRARUMQUE . REGINA
PRO . TANTI . SUI . TRIUMPHI . DECLARATIONE
PACEM . AC . TRANQUILLITATEM . DEPRECATURI

1.

MOLAS . HASCE . AQUARIAS
FERDINANDUS . I. SICILIARUM . REX . PROVIDENTISSIMUS
EX . APTA . CLANII . FLUVII . INCLINATIONE
PRAEGRANDIBUS . LIGNEIS . ROTIS . ADHIBITIS
CETERO . QUE . ADPARATU
PROUT . TEMPORUM . FEREBAT . INGENIUM
EXTRUENDAS . CURAVIT
ANNO . R. S. MDCCLXLIII

2.

MOLAS . IPSAS
FERDINANDUS . II. PIUS . FELIX . AUGUSTUS
AVITAM . PROVIDENTIAM
PRAETERGRESSUS . NEDUM . AEMULATUS
LATERITIA . AREA . INSTRUXIT
OPEROSIS . SUBSTRUCTIONIBUS . COMMODIORES . REDDIDIT
IN . PRIMIS . QUE . TURBINEIS . E . FERRO . ROTIS
EO . REM . PERDUXIT
UT . HAC . AQUARUM . VI
MAIOR . EXINDE . FRUCTUS
IN . PUBLICAM . MANARE . UTILITATEM
HAUD . POSSIT

OPUS . SANE . DIGNUM
QUOD . TRADERETUR . POSTERIS
CURATORES . CENSUERUNT
ANNO . MDCCCLVIII

1.

ANDREAE . FERRIGNIO
NEAPOLITANAE . ECCLESIAE . CAN. THEOLOGO
REGIO . SACRAE . SCRIPTURAE . INTERPRETI
ALUMNIS . HUIUSCE . SEMINARII . SACRIS . RITIBUS
EXERCENDIS . PRAEFECTO
PARENTALIA

2.

ANDREAS . FERRIGNIUS . PISONE
AB . INEUNTE . AETATE
MAGNI . SIMIOLII . AVUNCULI . VESTIGIIS . INSISTENS
REM . SACRAM . UNIVERSAM
EA . MENTIS . ANIMI . QUE . AVIDITATE . ARRIPUIT
UT . IUVENIS
DIFFICILLIMIS . PERFUNCTUS . PERICULIS
AD . ALTISSIMOS . GRADUS
ET . IN . REGIO . ARCHIGYMNASIO . ET . IN . CATH. ECCLESIA
INGENTI . OMNIUM . ADMIRATIONE . CONSCENDERIT
TOTA . DEINCEPS . VITA
DOCTISSIMAS . INTER . MEDITATIONES
TRANSACTA
APOPLEXIA . CORREPTUS . OBIIT . XIV. KAL. OCTOB.
ANNOS . NATUS . P. M. LX

3.

QUANTUM
IN . EXCOLENDIS . HUIUSCE . EPHEBEI . ALUMNIS
ASSIDUA . SACRORUM . RITUUM . EXERCITATIONE
VIR . SUMMUS . INSUDAVERIT
MAXIMA . QUA . HEIC . ET . CATHED. IN TEMPLO
AUGUSTISSIMAE . PERAGUNTUR . CAERIMONIAE
RELIGIO . TESTATUR

4.

OMNIGENA . PRAEDITUS . DOCTRINA
EA . SEMPER . EXTITIT . MODESTIA . ATQUE . HUMANITATE
UT . UTRUM . INGENII . GLORIA
AN . VIRTUTIS . LAUDE . MAGIS . FLORUERIT
IN . INCERTO . SIT

5.

CHRISTE . SERVATOR
SI . ANDREAS . DUM . VIXIT
AUGUSTAE . DOMUS . TUAE . DECOREM . ADEO . PROMOVIT
NUNC . TUO . ABLUTUM . SANGUINE
IN . AETERNA . TABERNACULA
TE . ORAMUS . RECIPIAS

IN FUNERE PAROCHI VITAGLIANO

Pro foribus templi

MICHAELI . ANGELO . VITAGLIANO
ECCLESIAE . HUIUSCE . PAROCHO
MORTALITATE . IAM . DEFUNCTO
PARENTATUR
VIRI . MULIERES
TEMPLUM . OMNES . INGREDIMINI
ANIMAE . HOMINIS . PIENTISSIMAE
QUI . PRO . VESTRA . SALUTE . NUNQUAM . QUIEVIT
AETERNAM . REQUIETEM . ADPRECATURI

NEMINI . MAXIMO . SINE . PIACULO
ABESSE . LICEAT

In fronte tumuli

MICHAEL . ANGELUS . VITAGLIANO
PASCHALE . AC . THERESIA . SANNINO . HONESTIS . PARENTIBUS
SECUNDILIANI . NATUS
PUERITIAM . ADOLESCENTIAM . QUE
VIRTUTUM . INTER . AC . LITTERARUM . EXERCITATIONES
DOMI . TRANSEGIT

MOX . CLERICALI . MILITIAE . ADSCRIPTUS
PHILOSOPHICIS . AC . THEOLOGICIS . MAXIME . DISCIPLINIS
BARTHOLOMAEO . MALITIA . DOCTORE
IN.LYCEO.ARCHIEPISCOPALI.STRENUAM.ADEO.NAVAVIT.OPERAM
UT . AEQUALES . INTER . PRIMAS . EGERIT
TUM . SACERDOTIO . AUCTUS
MORALIBUS . AC . BIBLICIS . STUDIIS . TEMPUS . OMNE
MAGNO . CUM . FOENORE . IMPENDIT
HOC . PIETATIS . AC . DOCTRINAE . CHORAGIO . INSTRUCTUS
PROHIBERE . NON . POTUIT
QUIN . RELUCTANS . QUAMVIS
DUOS . QUE . MENSES . PATRIA . PROCUL . LATUERIT
PAROCHUS . RENUNTIARETUR
GRAVISSIMO . IN . QUO . MUNERE . RITE . OBEUNDO
EA . FUIT . ANIMI . FORTITUDINE . AC . PATIENTIA . CORPORIS
UT . DIFFICILLIMIS . PRAESERTIM . PUBLICAE . REI . TEMPORIBUS
NULLIS . UNQUAM . MINIS . NEC . INIURIIS . CESSERIT
NULLIS . DIURNIS . NOCTURNIS . QUE . CURIS
PEPERCERIT . NEC . LABORIBUS
AD . CONCREDITUM . SIBI . GREGEM
SARTUM . TECTUM . SERVANDUM . NUTRIENDUM . QUE
TUM . APTA . DIVINI . VERBI . TUM . QUOTIDIANA
SACRAMENTORUM . DISPENSATIONE
QUAM . VIVENDI . NON . SIBI . SED . FILIIS . RATIONEM
CONSTANTER . DUOS . ET . QUADRAGINTA . FERE . ANNOS
SENEX . OPTIMUS . RETINUIT
DONEC . FRACTUS . VIRIBUS . AT . ANIMO . INVICTUS
MORTALEM . CUM . IMMORTALI . VITA
COMMUTAVIT . PRIDIE . KAL. IANUARII . MDCCCLIX
INEXPLEBILE . SUI . DESIDERIUM . OMNIBUS . RELINQUENS
ANNOS . NATUS . LXXXV

Dextrorsum

MICHAELIS . ANGELI
QUANTA . SEMPER . EXTITERIT . MANSUETUDO . MORUM
UAVITAS . IN . ALLOQUIO . OMNIBUS . IN . REBUS . HUMANITAS
OMNIUM . ORDINUM . TESTANTUR . PRAECONIA
AT . QUANTA . IPSIUS . FUERIT
IN . MISEROS . LIBERALITAS
VESTRAE . SUNT . TESTES . LACRYMAE . AC . SUSPIRIA
PAUPERES
QUIBUS . ILLE . SUBLEVANDIS
ET . PAUPER . VIXIT . ET . PAUPERRIMUS . OBIIT
UT . RARO . ADMODUM . EXEMPLO
NEC . QUIBUS . EFFERRETUR . VESTIBUS . HABERET

Sinistrorsum

MICHAELI . ANGELO
VARIAS . INTER . PASTORALIS . OFFICII . SOLLICITUDINES
NIHIL . POTIUS . FUIT . ANTIQUIUS . QUE
QUAM . BONI . PASTORIS . INSTAR
AEGROTANTIUM . SALUTI . OVIUM . PROSPICERE
QUUM . SACRIS . QUOTIDIE . RITE . ABSOLUTIS
NON . PRIUS . SE . RECIPERET . DOMUM
QUAM . INFIRMOS
NE . QUID . EIS . NOCTU . DEESSET . AUXILII
OSTIATIM . SINGULOS . INVISISSET

In postica tumuli parte

CHRISTE . SERVATOR
MICHAELEM . ANGELUM . PARENTEM . OPTIMUM
SI . TE . IN . FILIIS
FILIOS . QUE . PROPTER . TE . UNICE . ADAMAVIT
SI . DUM . VIXIT . DOMUS . TUAE . DECOREM . DILEXIT
NUNC . SOLUTUM . CORPORE
TUO . QUE . SANGUINE
SI . QUID . ADHUC . HUMANAE . LABIS . EXPIANDUM . RESTAT
OMNINO . ABSTERSUM
IN . AETERNA . TABERNACULA . TE . FILII
PRECAMUR . EXCIPIAS

IN FUNERE IOSEPHI CANONICO

Pro templi foribus

IOSEPHO . CANONICO
ALMI . THEOLOGORUM . COLLEGII
DECANI . VICES . GERENTI
IN . MAGNO . TOTIUS . REGNI . TABULARIO
PALAEOGRAPHIAE . ANTECESSORI
REGIAE . HERCULANENSIS . ACADEMIAE . SOCIO
ATQUE . HEIC . HEBRAICARUM . RERUM . PRAECEPTORI
SEMINARIUM . ARCHIEPISCOPALE . URBANUM
GRATIS . EXEQUIARUM . OFFICIIS
IUSTA . PERSOLVIT

INGREDERE . QUISQUIS . ES
ET . VIRO . ADVERSIS . SEMPER . FLUCTIBUS . IACTATO
AETERNI . PORTUS . TRANQUILLITATEM
EXPOSCITO

In temporarii tumuli fronte

IOSEPHUS . CANONICO
HONESTO . LOCO . NEAPOLI . NATUS
ADOLESCENS . INTRA . DOMESTICOS . PARIETES
AD . VIRTUTEM . ATQUE . HUMANITATEM . INFORMATUS
MILITIAE . QUE . ECCLESIASTICAE . TIROCINIO . POSITO
INTER . AEQUALES
NON . TAM . INGENIO . QUAM . IMPROBO . IN . STUDIIS . LABORE
EXCELLERE . VISUS . EST
VIX . SACERDOTIO . AUCTUS
IN.ARCHIEPISCOPALI.LYCEO.SACRARUM.LITERARUM. INTERPRES
TUM . ET . SANCTAE . LINGUAE . PRAECEPTOR . EST . RENUNTIATUS
QUAM.HUIUS.ETIAM.SEMINARII.ALUMNOS.PLURES.ANN. EDOCUIT
DEINDE.PUBLICO.OBITO.PERICULO.IN.THEOLOG.COLL.COOPTATUS
EAM . SEMPER . NAVAVIT . SEVERIS . DISCIPLINIS . OPERAM
UT.QUAMDAM.ANIMI.VULTUS.QUE.SEVERITATEM.CONTRAXERIT
TANDEM . AD . REGIAM . PALAEOGRAPHIAE . CATHEDRAM
ET . HERCULANENSIS . ACADEMIAE . SOCIETATEM
PER . OBSTANTES . NEQUICQUAM . OBICES . PERVENIT
DIGNUS . SANE . VIR
CUI.LABORUM.AC.STUDIORUM.FRUCTU.DIUTIUS.LICERET.FRUI
SED . ALITER . DEO . VISUM
NAM . SUBDOLI . MORBI . VI . CORREPTUS
CADUCAM . CUM . IMMORTALI . VITA . COMMUTAVIT
PRIDIE . IDUS . IANUARII . MDCCCLVII
AETATIS . ANNOS . NATUS . L. MENSES . VII

HEIC . IN . PACE . QUIESCO
FRANCISCUS . BUONOCORE . ANTONINI . FILIUS
QUI . A . PRIMA . AETATE . MEA
IN.STABIANO.CLERICORUM.EPHEBEO.AD.BONAS.ARTES.EXCULTUS
VIX . TRIBUS . A . SACERDOTIO . ANNIS
DUM.LABORIBUS.LITTERARIIS.SACRIS.QUE.EXERCITATIONIBUS
DIURNIS . NOCTURNIS . QUE . ADVERSA . VALETUDINE
NIMIO . PLUS . VACABAM
DIRO . CORREPTUS . MORBO
AERUMNOSAM.HANC.VITAM.CUM.IMMORTALITATE.COMMUTAVI
SAGAX . NE . MIHI . FUERIT . INGENIUM . CANDIDI . AN . MORES
EX . TOTIUS . CIVITATIS . LUCTU . SATIS . ENITUIT
NUNC . ORO . TE . PATER . DULCISSIME
LACRIMIS . AC . DOLORI . HAUD . PLUS . AEQUO . INDULGEAS
EADEM . SORS . OMNES . MANET
SERIUS . OCYUS . HEIC . SIMUL . DORMIEMUS
CUM . PROPINQUIS . POSTERIS . QUE . NOSTRIS
AETERNAM . SECURITATEM . ET . BEATAM . RESURRECTIONEM
IN . DOMINO . IESU . EXSPECTANTES
VIXI . ANNOS . XXVI. MENSES . V. DIES . XXII
DIC . HOSPES . HAVE . ET . VALE

ALOYSIO . MAISTO
HONESTO . LOCO . NATO . AC . LIBERALITER . INSTITUTO
SUAVITATE . MORUM . VITAE . QUE . INNOCENTIA
SUIS . PER . QUAM . ADCEPTO . AMICIS . CARISSIMO
PULCHERRIMAS . QUAS . SUI . EXCIVERAT . SPES
FACILE . VICTURO
NISI . XXV . VIX . ATTINGENTEM . ANNOS
ACERBA . EUM . MORS . RAPUISSET
FRATRES . AC . SORORES . HAEREDES
P.